

Gea

Sammelband 38

THEOLOGIA  
NATURALIS  
POSITIVA

ad

normam scientiarum pra-  
cticarum tradita.



*Helmstadt,*

Imp. JO. MELCHIOR. SÜSTERMANNI,  
Bibliopolæ.

ANNO M D CC XV.

*U. 11*



THEOLOGIA  
NATURALIS  
POSITIVA

DOMINI KRISTIANI  
GIESHARTII



LEIPZIGER UNIVERSITÄTS- und  
LANDESBIBLIOTHEK  
ANNO M D CC XX

1939 9 86 24  
4





*SUMME REVERENDO & MAGNIFICO*

DOMINO

**GEBHARDO THEO-  
DORO MEIERO,**

**SS. THEOLOGIAE DOCTORI  
CONSUMMATISSIMO,**

*EFJUSDEMQUE*

**PROFESSORI DE ILLUSTRIS JULIA  
ET UNIVERSA ECCLESIA LUTHE-  
RANA INDIES MERENTIS-  
SIMO,**

**DOMINO PATRONO & AGNATO  
MEO AETERNUM SUSPICIENDO.**

a 2

PARI-



PARI-

*MAXIME REVERENDO AMPLISSIMO  
& EXCELLENTISSIMO*

DOMINO

**CHRISTIANO**

**FRIDERICO KNORN,  
SANCTÆ THEOLOGIÆ LICEN-  
TIATO CELEBERRIMO,**

*REVERENDISSIMI & SERENISSIMI  
EPISCOPI OSNABRÜ-  
CENSIIUM DUCIS BRUNSVICENSI-  
UM ET LÜNEBURGENSIUM  
CONSILIARIO ECCLESIASTICO,  
DUCATUS GRUBENHA-  
GENSIS SUPERINTENDENTI  
GENERALI  
ET ECCLESIAE OSTERO-  
DANÆ PASTORI PRIMARIO,*

*DOMINIS PATRONIS  
VENE-*

TER

*MAXIME REVERENDO & AM-  
PLISSIMO,*

DOMINO

**M. RUDOLPHO  
MOLANO,**

*REVERENDISSIMI & SERE-  
NISSIMI,*

**EPISCOPI OSNABRÜG-  
GENSIUM DUCIS BRUNSVICENSI-  
UM ET LÖNEBURGENSIUM  
CONSILIARIO ECCLESIASTICO,**

**ECCLESiarUM OSNA-  
BRÜGGENSIUM INSPECTORI,**

**ET QUACKENBRÜGGEN-  
SIUM PASTORI PRIMARIO,**

*ET COGNATIS ÆTATEM  
RANDIS*



UT ET

*NOBILISSIMO & AMPLISSIMO*

**DN. CHRISTIANO  
BÖHMERO,**

**SERENISSIMI BRUNSVI-  
CENSIIUM ET LÜNEBURGENSIUM  
DUCIS AD INCLYTAM WIL-  
HELMSBURGENSEM**

**PRÆFACTO SPECTABILI,**

**DOMINO ET PATRUO MEO  
PIA MENTE COLENDO,**



HANC  
THEOLOGICÆ NATURA-  
LIS DELINEATIONEM

XII. DISPUTATIONIBUS

PUBLICÆ

SUB PRÆSIDIO

JO. ANDR. Æ Schmidt

LOG. & PRIM. PHIL. P.P.

VENTILANDAM

D. D. D.

PHILIPPUS LUDOVICUS BÖHMER,  
HANNOVERANUS.

\* ( o ) \*

DE POTENTISSIMA  
DOMO LUNÆBURGICA

*In utroque fore summe merita Familiae*  
SURCULO SPEI PRÆSENTISS.

NOBILISSIMO DOMINO

PHILIPPO LUDO-  
VICO BÖHMERO,

MUSARUM SANCTIORUM DELICIO,  
ACADEMIÆ JENENSIS ORNAMENTO,

*cum IS*

Juxta privata Theologum tum facientia, tum  
ornantia exercitia.

OPUS SUPRA EXEMPLUM  
DISPUTATIONUM IN UNIVERSAM  
PHILOSOPHIAM  
SEX DECADES.

*Publicis agonibus calidissime urgeret.*

Nil

\* (o) \*

\*  
**N**il modicum tenras. Tua sed molimina cedunt  
Ex voto. Plaudunt Dique, Deæque  
TIBI,

\* \*  
**I**ngenium ; Virtus ; Ardor ; Vis entbea  
fandi ;  
In Te num primas , hæreo , sustineat.

\* \* \*  
**L**ustri Te medio geris, ut sis *Preside*  
*dignus* ;  
Exacto lustro Tu mihi *quantus*  
*eris* !

*Præcellenter erudite Dn. BOEMERE,*  
*limpidissima Tue vena paria hæud*  
*valens, sed fortuna devotus*

fac.

**GEORG. GOEZIVS,**  
Past. Prim. Consist. Ducal. Ass.  
Superint. General.

1665

Ausf.

\* (o) \*

**A**lſibus haut unis generoſo  
peſorectares ;

Triplicat hinc plauſus Salais  
alma Tibi.

His inuſtrito ſtudiis mox nobile,  
velis

Ad templum plenis inſtat honoris  
iter.

Honoris & Affeſtus ergo ſcribeb.

GEORG. WOLFFG. WEDELIUS.

**D**iverſos tenus hac Phoebus diuerſa proba-  
runt,

Singulaque ad laudem viſa fuere ſatis.


At poſtquam congeſſit opes, eque omnibus  
in Te.

Effudit totos prodiga Muſa ſinus.

Tu pridem par ſis nulli non niteris arti,

Nec non ſufficias in decus omne, facis.

Tu



Tu sphaeram, zonas, tu puncta logistica tractas,  
Et sveta est manibus pertica docta tuis.  
Te naturalis morumque scientia laudat,  
Tertiaque in partem cuncta Salana venit.  
I nunc, in Sophiæ belle qui parte stetisti,  
Ponimus hoc contra quælibet ausa caput.  
Vix de pube aliquem, qui singula promptior  
    isto  
Præstabit, vel qui tam bene cuncta, dabis.

*Nobilissimo Dn. BOEHMERO honoris  
& amicitia ergo fac.*

M. JO. GEORG. MÜLLERUS,  
Fac. Philos. Adj. & Senatoriæ Rect.

**N**OSSE DEUM Sapere est. Sapere est  
tenuisse venustum,  
Naturæ cursum verbis factisque pro-  
    batis.  
Competit utrumque Egregiis virtuti-  
    bus Amplo  
Nostro BOEHMERO, plaudentibus un-  
    dique Mutis  
Stirpis enim Magnæ vestigia clara se-  
    cutus  
Insignes animi dotes mox comprobat  
    orbi.

Ejus

\* (o) \*

Ejus Virtuti Specimen non sufficit unum;

Triginta binis vicibus repetita Corusco  
Successu satis hoc demonstrat Pulpita

Jenæ:

Demonstrat satis hoc Cordatis vita probata.

Macte his perraris virtutibus! Inde Cæmænæ

Præmia, quæ tanto sint digna labore, parabunt.


Ita Nobiliss. multaque Virtutis ac solidæ Eruditionis laude maxime Claro, Domino PHIL. LUD. BOEHMERO, Hannoveran. Fautori & Amico Honoratissimo de Insignibus per omnem Philosophiam Speciminibus magis concinno affectu quam Carmine sincere applaudit

M. JOH. MICH. LANGIUS,

Ezelwangenfis, P. L. C.

**O**Mnes Bæmeri cœunt in pectore Muse  
Et Sophie non, quo non capiatur, habet,  
Nec satis umbrosis Ipsi vixisse tenebris.  
Et tacite Phæbo proximior frui.  
Ent hea vis animi commercia publica svast  
Doctorum, & Clarias conseruisse manus.

Hinc



*Hinc, si quid possunt praesagia nostra, triumphos  
Spondeo, quae virtus Ipsius ornet opus!*

Prænobilissimo atque Doctissimo Do-  
mino PHILIPPO LUDOVICO  
BÖHMERO, Commensali & Ami-  
co suo integerrimo, paucis hisce  
gratulari atque amplissima præ-  
mia apprecari voluit.

JOH. ALBERT. GUMPRECHT,  
Hannoveranus.

**I**Carus *infelix* tendebat in aëra, *felix*  
BOEMERUS, Sophiæ pulpita docta  
perit.

Icarus *infirma* sed *firma* nititur arte  
BOEMERUS, quoniam Palladis arte  
valet.

Ergo decus summum capias feliciter  
arte  
Doctrina, & Studio Palladis, opto  
TIBI!

*Ita in honorem Clarissimi Dn. BOEME-  
RI, Fautoris & Amici sui desideratis-  
simi, gratulabundus cecinit*

A. DEICHMANN, Einbeccens.

*Audi-*



*Auditores Optimi!*



Universæ Philosophiæ scopus est, nosse se & nosse Deum. Huc quidem, tanquam ad ultimam rerum lineam, multi colineant, licet paucis Corinthum hanc adire datum sit. Quidam enim media negligunt, & alii mediis non recte utuntur, quid igitur mirum, si a recto aberrant tramite? Huic hominum generi statuæ mercurialis ad instar esse deberet pars illa philosophiæ, quam theologiam naturalem vocamus. Hæc enim, quantum in ipsa est, viam monstrabit ad præfixum studiorum finem. Imo pæda-

pädagoga erit ad sublimius lumen, via-  
 rum nostrarum tenebras dispellens.  
 Talis autem cum sit, operæ pretium  
 esse olim existumavi, ab illa præcipue  
 professionis meæ lectiones publicas  
 auspicari. Ab eo quoque tempore  
 omnibus, qui me audire voluerunt,  
 studium hoc, ut eo nil prius nec anti-  
 quius haberent, de meliori nota com-  
 mendavi. Hoc ipso tamen nunquam  
 animus mihi erat quidpiam publicæ  
 luci committere, nisi illud magis poli-  
 tum, latiusque deductum fuerit. Sed  
 præter omnem spem mihi tandem ex-  
 torfit hanc opellam Dn. PHIL. LUD.  
 BOEHMERUS, genuinus philoso-  
 phiæ nostræ auditor, qui logicam  
 metaphysicamque mascule defenden-  
 do absolverat, & nunc celeri pede  
 ad hanc reliquasque scientias prope-  
 rabat. Accedebat quoque professio-  
 nis meæ circulus, qui theologiam,  
 naturalem denuo publice prælegen-  
 dam esse svadebat. Accipite igitur,  
 auditores optimi, quod unice ve-  
 stris

\* (o) \*


stris utibus dicatum fuit. Vestris inquam. Nam mea qualiacunque ad aliorum palatum hactenus non fuerunt. Nec miror, cum illis quoque non scripserim. Compendia trado, non volumina a robusto ferenda bajulo. Non hæc, sed illa indigent doctis explicacione, omnem obscuritatem, quæ a doctrina in paucas redacta paginas abesse non potest, penitus tollente. Ceterum sciatis, exemplar primum aliena manu scriptum correctumque fuisse. Ego enim hucusque ob concatenatos labores aliaque nulla novi intervalla. Quapropter si quidpiam in hac prima eaque tumultuaria editioe prætermissum observaveritis, illius emendationem in ipsa explicacione a me expectabitis. Raptim e musæo d. 13. August. A. O. R. M. DC. LXXXVIII.



# PROGRAMMA

S U B

initium professionis le-  
ctionibus publicis  
præmissum.





**C**um veneris in templum,  
adora. Symbolum hoc est  
inter aurea Pythagoræ sa-  
pientissimi verba jure meri-  
toque primum obtinens locum. Aca-  
demia templum est, quo non sanctius  
ullum. In cujus sacrarium interius  
cum jussu SERENISSIMORUM NU-  
TRITORUM, DOMINORUM MEO-  
RUM CLEMENTISSIMORUM mihi  
intrandum sit, adorare & Numini divi-  
no, iisque qui in his terris illius vice,  
defunguntur, humillimas deferre gra-  
tias, præcipua erit cura, unicum opus  
& labor. Tibi igitur æternæ rerum sta-  
tor & conservator heic publice voti-  
vam suspendo tabulam, quod mihi vim  
multarum tempestatum, immanium  
procellarum & fluctuum effugere, in-  
portumque saluum, divina favente gra-  
tia

)2(

tia pervenire concesseris. Per Te nunc licet læto coronam imponere puppi & in erudito litoris pulvere quascunque figuras describere. Secundet porro, supplex precor, cœpta mea divinæ tuæ clementiæ aura. Non futilibus votis Te distringam, non poscam opem, nervis, corpusque fidele senectæ, divitiæ ut crescant, ut opes, ut maxima, roro nostra sit arca foro: Sed unice ad Socratis humanæ sapientiæ quasi cujusdam terrestris oraculi, præceptum me formaturus, nihil ultra à Te, ô Deus, immortalis petendum arbitror, quam ut bona tribuas, quia Tu demum nosti, quid unicuique sit utile, quid proficuum, nos autem plerumque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret. Vobis quoque, Gloriosissimi Heroes, æterna Saxonicæ Domus nomina, Principes Nutritores ac Domini mei Clementissimi, quæ vota efferam altaribus vestris digna? Pars quidem mortalium ita comparata est, ut cum beneficia exsolvere possint, læti sint, ubi vero multum antevenere, tri-

sten-

stentur: Vel si qui crimen illud effugere volunt, ea tamen premunt vel furtive agunt gratias, & in angulo & ad aurem, & ingratiore, quam si tacuissent, fuerunt. Sed ad ultimam usque Thulen abeant, qui beneficia rite æstimare nequeunt! Alia longe mens mihi sedet, neque unquam mutabitur ab illa. Licet enim, si vel centum linguas oraque centum natura mihi dedisset, excelsæ gratiæ Vestræ argumenta satis ampla in demandata professione publica, eloqui non possim, ne dicam debita celebrare laude; nullum tamen tempus illa subducat, & quæ recentia apud me nunc vigent, nullo interjecto spatio obsolescent. Quamdiu scilicet spiritus hos reget artus, non duntaxat mens mea semper ad humillima obsequia erit obstricta, sed lingua quoque æternas dicere grates conabitur. Ceterum benignissimum Numen meos pensabit defectus, quod etiam diurnis nocturnisque defatigabo precibus, ut tantis seculi nostri luminibus, non tenuem beatitudinis crustam, sed solidam

dam & sinceram felicitatem è cœlo demittat. Excubet pro ea augenda custodiendaque pertinax ejus indulgentia & nunquam remotos habeat oculos à sanitate ac omnigena prosperitate: morbos visos invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates intemperiasque prohibefferit, defendat, averrunctetque. Hæc unica mea sunt vota, hæc erunt etiam perpetua! Denique ut inlectionibus quoque publicis iisque primis ex parte saltim aureum illud Pythagoræ symbolum implere possim, & ibi adorabo, aliisque ut idem faciant, auctor ero sedulus. Nimirum placet certas ob rationes sub laborum publicorum initium, ab ipso Deo exordium sumere, atque illam scientiam, quæ à nobiliori objecto *Theologia*, & ab investigandi modo *naturalis* dicitur, perspicue ac solide, quantum per ingenii vires licebit, honoratissimis Dominis Commilitonibus proponere. Favebitis mihi hæc sacra facienti, ut nullus dubito, & lingua & mente. Ut vero rite ea peragi possint, procul hinc, procul esse

esse jubeo omnes, quos vel fors vel propria culpa profanos fecit. Pythagoras olim dixisse fertur, templum qui ingredi voluerit, munda veste amictum esse oportere & in qua nec indormierit quisquam, nec somnum otiosum ac segnem ceperit. Si ulla scientiarum, profecto hæc animum segnem non desiderat, cum in iis versetur, quo sensa, pertingere nequeunt. Improbo heic opus est labore multisque vigiliis, ut per varias rationum series ad illa sublimia ascendamus. Dein veste quoque munda huc accedite, in qua non indormierit quisquam. Liberi sitis ab opinionum pravitate, qua hæc vel illa secta maculam contraxit, ne Ciceronianum illud in vos quadret: apud vos opinio præjudicata tantum poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. Iniqua enim plane res mihi videtur, se ipsum velle iudicio, quo excellentius nihil benignum Numen nobis largitum fuit, privare, pecorum ritu antecedentium sequi gregem, atque pergere non qua eundem est, sed qua itur.

diam ac ob id tutissimum semper ad hæc  
sacra duxi viam, sanam sequi rationem  
& cum ratione sensum ferruminatum,  
si vocabulum in scholis hæctenus usita-  
tum adhibere licet. Græci rebus di-  
vinis operantes in eam cœli plagam ora  
convertebant, à qua lucis exordium est.  
Vos huc dirigite vultus, quo splendi-  
dum naturæ lumen affulget, atque in  
illud transferte, quod Cicero magnifi-  
ce de Philosophia scripsit: O vitæ dux,  
ô virtutis indagatrix, expultrixque vi-  
tiorum, quid non modo nos, sed omni-  
no vita hominum sine te esse potuisset?  
ad te confugimus, à te opem petimus:  
tibi nos, ut antea magna ex parte, sic  
nunc penitus totosque tradimus. Est  
enim unus dies bene & ex præceptis  
tuis actus peccanti immortalitati ante-  
ponendus. Credite mihi in hac aspera  
& salebrosâ via non deducet vos in de-  
via, modo monenti faciles præbueritis  
aures. Secus si feceritis, pejus vobiscum  
agetur, quam scum illo Phædromo  
apud Plautum, præ nimio amoris æstu  
& angore, quo se verteret nesciente.  
Nam

Nam si in principio vel minus firma vel plane falsa susceperitis, consequentium rerum necessitas ad deliramenta certissime vos perducet. Ulterius ut ad hæc solennia vos bene componatis, sitis veterum more stabiles, vel si Pythagoræ aut Numæ præcepta audire mavultis, sedeatis; licet ipse prius elegerim, cum in posteriori mens quidem recta, signum tamen ferale cernatur. Involucra si removeatis, animum vestrum arte analytica & demonstrandi scientia, quam Simonides in quadro, rectissima stabilitatis nota, collocavit, probe instructum desidero. Ex Pythagoræorum præscripto viri inconstantes, qui velut hirundines exiguo temporis spatio apud nos sunt & inquieti per diversa discurrunt, ad dogmata non admittendi erant: quis igitur patietur adorantem pede nunc in hanc nunc in illam partem titubante, & animo quoque huc illuc fluctuante? Amant Camœnæ montis stabilitatem, nec unquam leguntur fluctibus se commisisse. Quare castra illorum dum sequimur, caveamus ne  
)( nos

nos reciprocus inanum opinionum.  
Euripus abripiat, atque hoc ipso via  
ad cognitionem Dei, quo nihil stabili-  
us, nobis intercludatur. Semper enim  
menti meæ observatur ingeniosum il-  
lud, quo nonnemo hominem arte opi-  
nandi saltem turgidum cancro, qui  
modo ante modo retro, modo in trans-  
versum incedit, similem esse dixit: Ne-  
que temere veteris sapientiæ antistites  
cœlesti cancro asellum, ignorantiaæ hie-  
roglyphicum indidere. Monstrare sci-  
licet voluerunt in inquirendis rebus hac  
via procedentem non scientiæ sed in-  
scitiæ iter calcare. Jubent vero anti-  
quissimi ritus non tantum ut adorans sit  
stabilis, sed etiam in eodem situ cir-  
cumagat corpus, sive, quod Ægyptiæ  
inducant rotæ, quia in humanis nihil  
stabile, nihil firmum, & utcunque De-  
us volvat revolvatque vitam, nobis id  
libenter admittendum; sive, ut ad in-  
star peripheriæ constans divinitatem,  
quasi firmum & unicum centrum respi-  
ciat; sive, quod mihi quidem maxi-  
me probabile videtur, quia motus ille  
ex-

exprimit similitudinem universæ hujus  
molis, quam incolimus, quæ perpetua  
indefessaque vertigine, nunquam cessa-  
tura raptatur. Non absimile quid no-  
stra efflagitant sacra. Licet enim, quod  
nemo nisi spissis ignorantiaë tenebris  
immersus facile negabit, plures Deum  
investigandi rationes dentur; commo-  
dissima tamen illa, salvo aliorum judi-  
cio æstumatur, quæ ex universi hujus  
pulchritudine procedit. Præclare in-  
quit Aristoteles: Si essent, qui sub ter-  
ra semper habitavissent bonis & illustri-  
bus domiciliis, quæ essent ornata signis  
atque picturis, instructaque rebus iis  
omnibus, quibus abundant ii, qui be-  
ati putantur, nec tamen exissent un-  
quam supra terram, accepissent autem  
fama & auditione esse quoddam Nu-  
men & vim Deorum. Deinde aliquo  
tempore patefactis terræ faucibus, ex  
illis abditis sedibus evadere in hæc lo-  
ca, quæ nos incolimus, atque exire  
potuissent, aspexissentque Solem, ejus-  
que tum magnitudinem pulchritudi-  
nemque, tum etiam efficientiam co-  
gno-

gnovissent, quod is diem efficeret toto  
cælo luce diffusa; cum autem terras  
nox obscurasset, tum cælum totum  
cernerent astris distinctum & ornatum,  
lunæque luminum varietatem, tum  
crescentis tum senescentis, eorumque  
omnium ortus & occasus, atque in  
omni æternitate ratos immutabilesque  
cursus: hæc cum viderent, profecto &  
esse Deos & hæc tanta opera Deorum  
esse arbitrarentur. Quapropter lumine  
naturæ, quo Deus nos beavit, & scientia  
multis parta laboribus, hoc agentes  
singula terræ & cæli tanquam curiosi  
spectatores excutiamus. Hoc ipso in  
meliorem transcribemur sortem & ipsi  
us S. Spiritus mandatum exequemur.  
Sed satis Vos, quantum ad præsens, ini-  
tios puto, si unum illud Pythagoræ  
monuero, alium animum fieri debere  
intransibilibus templum, Deorum simula-  
chra ex vicino cernentibus. Scilicet  
qui in solem venit, licet non in hoc  
venerit, colorabitur: qui in unguen-  
taria taberna resederunt, & paulo diu-  
tius commorati sunt, odorem secum  
loci

loci ferunt: Et qui apud Theologum  
naturalem fuerunt, traxerint aliquid  
neceffe est, quod prodesset. Quid ve-  
ro? Non tantum Deum nosse, sed &  
eum sequi, illi libenter parere, fortu-  
nae contumaciter resistere & hoc exige-  
re, ut ipsa inter se vita unius, sine actio-  
num dissensione, coloris sit. Ast quo-  
tus quisque invenitur, qui sit ita mora-  
tus, ita animo ac vita constitutus, ut  
ratio postulat? qui disciplinam suam  
non ostentationem scientiae, sed legem  
vitae putet? videre licet alios gloriae,  
alios libidinum esse servos, alios unice  
scenae suae servire. Ciceronis de hoc  
hominum genere percipite iudicium:  
Philosophus in ratione vitae peccans,  
hoc turpior est, quod in officio cuius  
magister esse vult, labitur, artemque  
vitae professus, delinquit in vita. Alia  
nobis sit mens, alia quoque vita. Cu-  
remus ut animus noster non tantum  
doctior sed & melior abeat ab illa,  
quam suscipimus adoratione. Hoc si  
egerimus renunciabit nobis praeco ser-  
mone rituque graecensi *à Qseru.* Hi igitur

tur erunt per futurum semestre labores  
publici proximo Jovis die à Theologiæ  
naturalis instructu inchoandi. Priva-  
tim quoque in gratiam incipientium,  
quorum potior ratio nunc habenda est,  
tabulas metaphysicas B. Stahlii conti-  
nuis discursibus, ex vario disciplinarum  
genere exemplis desumptis, illustrabo,  
atque eas ultimo cujusvis hebdomadis  
die ad examen revocabo. Ad calcem  
subjiciam peculiarem aliquam tabulam  
regularum philosophicarum, quæ in ex-  
ercitio disputandi occurrere solent,  
cum suis restrictionibus in schola usi-  
tatis. In Logicis collegium disputato-  
rium à quibusdam diu desideratum of-  
fero, in quo usus Analyticæ atque Dia-  
lecticæ in respondentis ac opponentis  
munere una cum toto disputandi pro-  
cessu monstrabitur. Ne vero labor ste-  
rilis videatur, theses phycas, à me  
ante id hac editas ventilationi subjici-  
am, ut harum jucunditate omne tædi-  
um dispellatur. Privatissimos, ut vo-  
cant, quibus hætenus mea opera præ-  
sto fui, neque nunc deseram. Omni-  
bus

bus his conatibus præmittam sequente  
mercurii die hora X. orationem inau-  
guralem *de Nov-antiqua Cartesii Theo-*  
*logia naturali*, ad quam Magnificum  
Dn. Rectorem, atque singulos Acade-  
miæ Proceres, Doctores, Reverendi  
ministerii Collegas, Adjunctos nostræ  
Facultatis, Magistros, totamque no-  
bilissimorum studiosorum coronam, ea  
qua par est observantia, humanitate at-  
que amicitio invito, promittens pro  
hoc beneficii genere, ea quæ à me spe-  
rari poterunt officia paratissima, prom-  
tissima. P. P. d. 4. Nov. A. O. R.  
M DC LXXXIII.



...his considerat...  
...die...  
...ad...  
...Dr. Reberem...  
...Theores...  
...Colleg...  
...Magist...  
...offic...  
...que...  
...re...  
...P. P. ...  
M D C X X I I I



RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE ac DOMINO  
D O M I N O

JO. GVILIELMO,

Duce Saxonix, Juliaci, Cli-  
viæ ac Montium, &c. &c.

JO. ANDR. Schmidt/  
Log. & Phil. Prim. P. P.

ULTERIORI DISQUISITIONE  
DE

CATHEDRIS  
DOCTORUM


ad continuationem exercitii publici  
LX. DISPUTATIONUM

à

VIRO JUVENE

DN. PHIL. LUD. BÖHMER,  
HANNOVERANO.

publice per ætatem habendi  
PHILOSOPHIÆ STUDIOSOS  
*humaniter invitare  
solvit.*





**D**isquisitionem nostram de cathedris doctorum in primo programmate deduximus ad tempora Apostolorum, quos Tertullianus in Ecclesiis suis certas sedes reliquisse putavit. Hoc certum est, de cathedra Petri nihil nobis certi constare. Festum illi, nimirum Petro, in memoriam primi ad gentes Antiochenas egressus dedicatum fuit. Qui quoniam communi calculo 22. Febr. incidisse creditur, in causa fuit, ut festum, quod in genere foundationi Ecclesiarum Petri dicatum fuerat, postea ad Ecclesiam Antiochenam restringeretur. Multa certè martyrologia antiquissima MSta æque ac edita ad d. 22. Febr. vel hunc titulum habent: *cathedra sancti Petri Apostoli*, vel *cathedra Antiochena*, ita ut in Januario nulla mentio fiat, *cathedra D. Petri* vel *cathedra Romane*. Dein ne Romana Ecclesia Antiochenæ aut invideret aut cederet, Paulus IV. referente Bellarmino (a) aliud cathedræ festum seorsum instituit & alterum Antiochenæ, alterum Romanæ sedi tribuit. Conf.

a 2

MSto.

(a) *Dea Rom. Pont. lib. 2. lib. 6.*

MStorum Martyrologiorum volumen, quod in bibliotheca publica Jenensi extat, ubi partim antiquiora, partim recentiora pervolvendo, assignatum discrimen observabis. Adde Clm M. F. Beckii, amici nostri, martyrologium Ecclesiæ Germanicæ pervetustum superiori anno editum, & M. Ant. de Dominis (a). Ecquid tandem fiet de cathedra Petri Romana, si Petrus nunquam Romæ fuit? Profecto Frid. Spanhemius rem omnem dubiam imò nullam fecit in quaternionis dissertationum prima de *temere credita Petri in urbem Romanam professione*.

Interim concedo cathedram illam, quæ hodie ostenditur, antiquum opus fuisse aliqujus Episcopi Romani, prout cum structura tum constitutiones Pontificum, harum rerum curam habentium, indicare videntur. Sic Clemens circa annum Christi 90. statuisse, vel potius, (cum res ipsa & praxis aliorum id per se admoneat) in Ecclesia Romana introduxisse dicitur, *ut cathedra Episcopalis in eminentiori loco statuatur vel erigatur, in qua stans seu residens Episcopus omnes possit circumspicere & ab omnibus circumspici*. Imo hoc non tantum, sed ut commodè orator vel lector ab adstantibus exaudiatur, secundum illud

(a) De Rep. Ecclesiast. lib. 4 c. 1. §. 25. p. 356.

Iud Esaia: (a) *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Zion: exalta in fortitudine vocem tuam, ceu illi, qui de ritibus, officiis divinis, aliisque Ecclesiae Romanae commentantur, addunt. Quo etiam spectant ista, quibus eminentioris hujus loci sublimiorem sensum edocere volunt: (1) Quia evangelica doctrina omnibus publicè manifestari debet, ut Christus apud Matthæum (b): *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, predicate super tella.* Innocentius de mysteriis missæ (c). (2) Quia prædicatio evangelii erigit mentem, ut in coelum ascendamus, ut in Psalmo (d) *Ascensiones in corde suo disposuit &c.* Stephanus Eduensis de Sacramento Altaris (e) (3) Exhibet eminentiam doctrinæ evangelicæ, ut apud Johannem (f). *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Hinc est, quod Christus docere volens discipulos, ascendit in montem apud Matthæum (g): *videns turbas ascendit in montem: & accesserunt discipuli ejus, & aperiens os suum, docebat eos.**

Constans profectò mos fuit, in seqq. quoque seculis editiorem locum omnis generis cathedris tribuere. Sic Cyprianus: (h) *Hos*

a 3

tamen

(a) cap. 40, 9. (b) cap. 10, 27. (c) lib. 2. cap. 43. (d) Psal. 83, 6. (e) cap. 11. (f) cap. 7, 16. (g) cap. 5, 1. (h) lib. ep. 34. p. m. 41.

ramen lectores interim constitutos sciauis, qui oportebat lucernam super candelabrum poni, unde omnibus luceat, & gloriosus vultus in loco altiori constitui, ubi ab omni fraternitate circumstante conspecti incitamentum glorie videntibus prebeant. Sic Augustinus (a): ubi sancta scriptura, justitiæque doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante, & qui faciunt audiant ad premium, & qui non faciunt audiant ad iudicium. Et infra (b): In gradibus exedræ, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus. Prudentius (c)

Fronte sub adversa gradibus sublime tribu-  
nal,

Tollitur, antistes prædicat unde Deum.

Et idem in coronatione Petri & Pauli: Bra-  
steolas trabibus sublevit, ut omnis aurulenta lux  
esset intus ceu jubar sub oru. Ad quæ Barthius  
(d) hæc notat: Elegantissima descriptio est ca-  
thedræ, de qualibus hodieque divina elogia  
explicantur, ut videre possit posteritas studi-  
um in talibus etiam primæ Ecclesiæ: Sed in lo-  
co egregie alio eas cathedras fuisse ex hoc eodem  
loco discas. Sidonius Apollinaris (e)

Seu

(a) C. D. lib. 2. c. 28. (b) lib. 22. c. 8. (c) hymno XI. de  
Hippolyto. (d) Advers. lib. 41. c. 3. p. 1831. (e) carm. 16.

*Seu de conspicuis gradibus venerabilis aera  
Concionaturum plebs sedula circumfistit,  
Exposita legis bibat auribus ut medicinam.*

Sed his missis lubet potius inquirere, cujus conditionis in primitiva Ecclesia hæ cathedra fuerint. Quamdiu in Ecclesia aurea florebant secula, omnia erant vilia, lignea & lapidea. Nec aliter fieri potuit. Savientibus enim tyrannis cœmeteria conventibus ecclesiasticis dicata fuerunt. Cum verò illic diutius convenire prohiberentur, (a) agros & solitudines incolere cœperunt. Sed & hic locus illis concessus non fuit, (b) hinc elegerunt simplices domos, latebras & speluncas. Seculo tertio demum templa extracta, paulo post iterum funditus everfa, & tandem restaurata splendidissime. Illa rerum facie quis pretiosas multaque arte elaboratas cathedras sibi promittere potuit. Plane simplices fuisse arbitror. Hinc Athanasius Alexandrinus (c) scribit: ἀρπάσαντες τὰ συμφέλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ ἦν τρέπτοντες, ἐβλήθησαν ἢν, καὶ τὰ βῆλα τῆς ἐκκλησίας, τὰ πάλαι ὅσα ἠδυνήθησαν ἐξ ἐνεργαίας, ἔκασταν ἐμπροσθεν τῶν πυλῶν ἐν τῇ πλατεῖᾳ τῇ μεγάλῃ, καὶ λίθων ἐπέβαλον. Subsellia, thronum,

34

(a) Eusebius H. E. VII. ii. (b) Euseb. loc. cit. IX. p. m. 365. (c) In Ep. ad solitariam vitam agentes p. m. 656.



num, mensam ligneam, tabulas Ecclesia, & cætera, quæ poterant foras elata combusserunt ante vestibulum in magna platea, & thura insperferunt. Non tantum mens in fuisse ligneam, sed etiam subsellia & thronum ex seqq. patere potest, dum Athanasius narrat quendam ex petulantioribus juvenibus ausum fuisse thronum convellere, fragmento ligni tamen inde in ventrem resiliente tandem perisse. Interdum etiam fortuito linteo tegebantur Sic Pontius Diac. in Actis S. Cypriani in fine hæc habet: *sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut & sub ictu passionis episcopatus honore frueretur.* Et Augustinus (a): *In futuro iudicio non apsidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ &c.* Sed intra hanc simplicitatem diures non stetit. Hoc ipso enim seculo III. epistola Synodi Antiochenæ contra Paulum Samosatensem graviter in eo notat, mutatam cathedræ antiquæ formam: (b) ἔτε τὴν ἐν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς συνόδοις τερατείαν, ἣν μηχανῶνται δοξοκοπῶν καὶ φαντασιοκοπῶν, καὶ τὰς τῶν ἀνερασιότερων ψυχῶν τοῖς τοιούτοις ἐκπλήττων. Ἰῆμα μὲν καὶ θρόνον ὑψηλοῦ ἐαυτῶ κατασκευασάμενοι, ἔχ' ὡς χειρῶν μαθητῶν. Neque item attinet examinare

(a) Ep. 203, ad Maximinum. (b) Eusebius l. c. VII. 30, p. 280.

ambiciosam hominis vanitatem in ecclesiasticis conventibus, quam omni studio consecratur; nihil aliud, quam inanem gloriam captans, & pompam affectans, atque huiusmodi artibus animos imperatorum perterrefaciens. Nam & tribunal & sublimem thronum, non ut Christi discipulus, sibi ipsi construxit. Quæ ultima verba Rufinus vertendo ita explicat: In Ecclesia vero tribunal sibi multo altius quam fuerat exsistui & thronum in excelsioribus collocari iubet.

Ex quo tandem Ecclesiæ plena pax affulsit, cuncta in majus, distinctius & ordinatius ire coperunt. Testatur id fabrica Templi Tyrii apud Eusebium (a) deprædicata: ἀλλὰ γὰρ ὡς καὶ τὸν νεῶν ἐπιτελέσας, θρόνοις τε τοῖς ἀνωτάτοις εἰς τὴν τῶν προέδρων τιμὴν, καὶ προσέτι βῆθροις ἐν τάξει τοῖς καθ' ὅλας κατὰ τὸ πρέπον κοσμήσας. Porro cum templum in hunc modum absolvisset, thronisque altissimis in honorem presidentium, ac præterea subselliis per univèrsum templum ordine dispositis exornasset; Hos thronos autem & subsellia doctoribus Ecclesiæ, Episcopis sc. Presbyteris & diaconis præcipuè fuisse assignata, eadem oratio docet in allegorica structuræ hujus explicatione (b). Ἐνεῖσι δ' ἐν τῷ δευτέρῳ ἱερῷ καὶ θρόνοι, βῆθρα τε μυρία καὶ καθιστήρια. ἐν ὅσαις  
 a 5 ψυχαῖς

(a) H. E. l. X. c. 4 p. m. 381. (b) p. m. 386.

ψυχῆς τὰ τῷ θεῷ πνεύματι ἐφίξαι  
 δωρήματα οἷα καὶ πάλαι ᾤθη τοῖς ἀμφι-  
 τας ἰερῶν ἀποστόλων, οἷς ἐφάνησαν διαμερι-  
 ζόμεναι γλώσσαι ὡσεὶ πυρὸς. ἑκάθετε τι ἐφ'  
 ἓνα ἑκατὸν αὐτῶν. ἀλλ' ἐν μὲν τῷ πάντων  
 ἀρχοντι, ἴσως αὐτὸς ὁλῶς ἐγκαθῆται χριστός.  
 ἐν δὲ τοῖς μετ' αὐτὸν δευτερεύουσιν, ἀναλόγως  
 καθόσον ἑκάστῳ χωρεῖ χριστῷ δυνάμει καὶ  
 πνεύματι ἁγίῳ μερισμῶς. βάρβαρα δ' ἐν εἰς  
 καὶ ἀγγέλων, καὶ αἰτιῶν ψυχῶν τῶν εἰς παιδα-  
 γωγίαν καὶ φρεσὶν ἑκάστα παραδδομένων.  
*Insunt etiam in hoc templo throni, & subsellia  
 scamnaque innumera: in cunctis scil. animabus  
 in quibus sancti spiritus resident dona, cujusmodi  
 olim visa sunt sacrosanctis Apostolis, quibus lin-  
 gua instar ignis divisa, & singulis insidentes ap-  
 paruerunt. Veram in ipso quidem omnium Prin-  
 cipe ac preside totus, ut verisimile est insidet. In  
 iis vero, qui secundum dignitatis locum obti-  
 nent, quatenus quisque dispertit a virtutis Chri-  
 sti sanctique spiritus dona capere potest. Subsellia  
 quoque angelorum sunt quorundam anima, quo-  
 rum institutio & custodia illis demandata est.  
 Athanasius q. 1. (a) memorat τὰ σοῦφῆλια καὶ  
 τὸν θρόνον, subsellia & thronum. Et Ambro-  
 sius (b) cathedras, subsellia & mattas. Ac-  
 cedit & illud, quod Julianus ille Apostata,  
 Chri-*

(a), h. c. (b) Tom. 2. Bas. ed. f. 21. col. 4 ad. 1. Cor. 14.

Christianorum ritus in templis ethnicorum ordinaturus, tales sedes doctoribus debitas constituisse dicatur apud Sozom. (a) ὑπολαβῶν δὲ τὸν χριστιανισμὸν τὴν σύστασιν ἔχειν ἐκ τῆ βίβη καὶ τῆς πολιτείας τῶν αὐτῶν μετῶντων, διενόητο ταῦτα αἰτῆς ἑλληνικῆς γλῶσσης, τῆ παρασκευῆ καὶ τῆ τιμῆ τῆς χριστιανῶν θεολογίας διακοσμεῖ. ἤμασι τε, καὶ προσεφέρεται, καὶ ἑλληνικῶν δογμάτων καὶ παραίνεσεν διδασκαλίας τε καὶ ἀναγνώσεις. Cumque existimaret Christianorum religionem ex vita & moribus eorum, qui illam sedantur, maxime commendari, Gentilium templa apparatus atque ordine Christiani: usitato ornare constituit: gradus praeterea ac primi concessus praerogativa; Gentilium uero dogmatum & exhortationum doctoribus atque lektoribus &c.

Hoc tamen non obstante etiam laicis βάρβαρα subsellia quaedam ex his fuisse parata arbitror, quod Valesius ad cit. loc. Eusebii, in Leonis Allatii epistola. 2. de recentiorum graecorum templis (a) probare non vult, Allatius enim vertit Eusebium hoc modo: & subsellis praeterea undique dispensatis ad communem usum eximieque formatis. Sed anne diversum quid infert Valesii interpretatio? ac praeterea subsellis per uniuersum templum ordine dispositis

(a) H. E. l. V. c. 10. p. m. 618. (b) p. m. 179.

*sponsis exornasset.* Numne omnia subsellia per univrsum templum disposita diaconis debebantur? Quis ergo locus laicorum, quibus ex epistola Athanasii ad solitarios, peracto divino officio sedere licitum fuisse affirmat? Frustra quoque Valesius in illam partem trahit Clementem in constituit. (a) (quæ utut illam ætatem non habeant, quam præ se ferunt, non tamen omnino recentioris ævi sunt,) quasi solis laicis hæc subsellia tribuat. Licet enim jubeat, *ut diaconi assistant succincti & expediti. Hi enim sunt ad nautarum & muralium præfectorum similitudinem. Horum cura laici in altera parte sedeant cum omni quiete & ordine: mulieres quoque separatim sedeant, silentium servantes.* Stetit tamen puto duntaxat diaconos, dum divinum peragebatur officium, vel cum ordo illos tangebatur, curam habere laicorum. Certè sequentia verba hoc inferunt: *Cum Evangelium legitur, omnes presbyteri, diaconi & laici assurgant* (ergo & diaconi & laici sederunt) *cum magno silentio. Deinde vero moneant presbyteri populum, ut sedeant, sed non omnes, ac postremus omnium Episcopus, qui gubernatori est similis. Maneant autem hostiarii ad introitus virorum, illos custodientes: Diaconissa ad introitus virorum, illos custodientes: Diaconissa ad introitus feminarum more nauticorum custodum.*

Illas

(a) lib. 2. c. 56. (mibi vero c. 61.)

Illas igitur diversimode constitutas doctorum cathedras Leo Allatius in epistola cit. (a) facit vel fixas vel gestatorias. Hæ sunt, quæ nullo in certo loco sedem sibi præfinit, sed à cathedralitatis ministris, ubi opus fuerit, convehuntur. Illæ sunt, quæ muris affiguntur, nec loco unquam moventur. In gestatoriis ante missarum solemnias in medio Ecclesiæ Pontifex celebraturus diebus solennioribus assidens sacris vestimentis induitur & sedet, postmodum recta dum isodus fit, in Bema procedit. Sic etiam cum aliquem ad sacra promovet, ad portam speciosam, vel ante altare reponuntur, quando *ἰερόν σὺνθερον* in Ecclesia nullum est, vel ante ipsum sacrarium. Romæ cum nullæ fixæ sint, pro Episcopis in australi parte ponuntur, una vel plures, pro numero præfulum, in quibus dum sacra peraguntur, sedent. Fixarum autem quædam extra Bema in media parte chori australi ex lignis delatis, nec ita inventu facilibus, singulari opere, artificioque confectæ sedentes excipiunt & *σὺνθερον* nuncupantur, quod simul cum aliis sedilibus locum occupant, vel quod simul una multi sedent. In iis antistes, dum sacra peraguntur, ut omnium oculis pateat, assidet: reliqui Ecclesiæ clerici utraque

ex

(a) pag. 158.

ex parte in humilioribus sedilibus collocantur : si plures adfuerint Episcopi tempore, aut dignitate Episcopo Ecclesie inferiores, loci episcopus prima sibi vendicat, reliqui ante clericos parte dextera Episcopi in aliis sedilibus sedent : si loci Episcopo illi dignitate praeferantur, cedente throno loci Episcopo, illi ut sicut dignitate conspicuiores, ita & locum digniorem possident. Et huc forsitan respexit Clemens (a) ubi describit Ecclesiam & Clerum : *In medio sit Episcopi sedes, ad cuius utrumque latus consideant Presbyteri* : adde caput sequens de clericis & episcopis commendatis peregrinis. In Ecclesia tamen Constantinopolitana, quandoque etiam non sine turba & iurgio aliter fit. Clerici namque illius Ecclesie Metropolitanis & Episcopis praesident, ut Ioannes Curopalates in Constantino : *Ἐγένετο δὲ κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς ταραχὴ διὰ τὴν καθέδραν ἐν τῇ λειτουργίᾳ μὴ κατὰ δεξιὰ τῶν Μητροπολιτῶν προκαθίσαι αὐτῶν τὰς συγγέλλας ἐν τῷ συνθρόνῳ. Orte vero sunt die Pentecostes turba propter sessionem, non sustinentibus Metropolitanis, ut Syncelli in symbrono praesiderent.* Conf. Dn. Casp. Ziegleri de Diaconis & Diaconissis veteris Ecclesie libr. commentarium (b) ubi de presbyterorum & diaconorum sessione multa statuta,

(a) in constitut. loc. cit. (b) cap. 10.

tuta, diffidia & incommoda recensentur. Erant porro quædam ex fixis in iplo Bemate medio post altare, quæ lapideæ fere esse solent.

Ex his puto iatis constare, ubi nam locorum cathedræ & sedilia illa fuerint constituta, nim. in choro, à quo per cancellos ipse quoque Imperator cum populo remotus erat (a). Illa autem cathedra quæ pulpitem & ambo alias dicitur, & in loco eminentiori poni solet, in medio non solius chori, sed totius templi olim locata fuit. Sic Lactantius in carmine de Christo:

*Quisquis ades, medii quoque subis in limina  
templi*

Ibi Barthius (b) quærit: *Cur medii templi*: Quia videlicet in meditullio sacrarum domuum erant cathedræ, unde salutis mysteria profitebantur sacerdotes. Et Prudentius l. c.

*At medios aperit tractatus via latior alti  
Culminis, exurgens editiore apice*

*Fronte sub adversa &c.*

Clemens quoque l. c. *Medius* (an in altera saltem parte, non in medio totius templi, cum partes templi hodiè aliter dispositæ sint quam olim) *lector è loco superiori stans, legat libros Moysi &c.* In quibusd. templis olim erat in summitate chori à reliquo templo cancellis distincti, hinc forsan

(a) *Confer. Sozom. H. E. l. 7. c. 25. Theodor. l. 5. c. 18. Euseb. in vit. Const. 4. 33. (b) Adversar. lib. XXXII. cap. 11. p. 1460.*

forfan eine Kanzel i. e. sedis in cancellis positiva, vel cancellata dicitur. Hodie etiam passim hujus rei vestigia in templis inveniuntur. In recentiorum Graecorum templis rarus aut nullus est usus ambonis. Et si quæ sunt orationes ὀπιθάμβωνοι, eas in media Ecclesia recitant, ut Leo Allatius narrat (a). Unica interdum erat in templo talis cathedra, interdum duæ ad legendum & concionandum ordinatæ. Sic referente Jo. Bapt. Casalio de veteribus sacris Christianorum ritibus in antiquissimis Ecclesiis Romæ extant duo pulpita ex lapidibus pretiosis, in quorum altero conciones habebantur, in altero Evangelium legebatur, sicuti in Ecclesia Clementis, S. Pancratii, S. Laurentii extra muros &c. Porro nec semper fixæ fuerunt, sed sæpe gestatorix. Notum est Constantiui M. templum portatile, de quo Eusebius in vita Constant. (b) Ἐπειτα καὶ τὴν σκηνὴν τῶ τῆς ἐκκλησίας χημάτι περὶς τὴν ἐκείνη τῆ πόλεως παρατάξιν σὴν πολλὴν φιλοτιμίᾳ κατεργάζετο ἐν ἧ τῶ Θεῷ τῶ τῆς νίκης δόξῃ, τὰς ἱερωσίας αὐτὰ τοῖς ἐπισκόποις ποιεῖσθαι ἐπένοει. Deinde *tabernaculum in speciem Ecclesie ambitioso cultu ad hujus belli usum preparavit; in quo preces ad Deum victoriae autorem una cum Episcopis fundere decreverat.* Et ad huc distinctius Sozomenus

(a) καὶ

(a) l. c. p. 154. (b) c. 34. p. m. 149.

(a) καὶ ἐν τοῖς βασιλείοις ἐκκλησίῳ οἶκον κατα-  
 σκεύασε καὶ σκηνὴν εἰς ἐκκλησίαν εἰκασμένην  
 περιέφερεν ἥνκα πολεμίοις ἐπεστράτευεν ὥστε  
 μὴ δὲ ἐν ἐρημίᾳ διάγοντα αὐτὸς ἢ τὴν στρατίαν,  
 ἱερῶ οἶκος ἐμοιζεῖν, ἐν ᾧ θεοὶ τὸν θεὸν ὑμνεῖν καὶ  
 προσεύχεσθαι καὶ μυστηρίων μετέχειν συνεί-  
 ποντο ᾧ καὶ ἱερεῖς καὶ διάκονοι τῇ σκηνῇ προ-  
 σεδρεύοντες, οἱ κατὰ τὸν νόμον τῆς ἐκκλησίας  
 τὴν περὶ ταῦτα τιξὶν ἐπέληξεν. Et in palatio  
 Ecclesiam edificavit: Et quoties ad bellum pro-  
 fici sciretur, tabernaculum ad Ecclesie similitu-  
 dinem fabricatum circumferre consueverat: ita  
 ut ne quidem in solitudine constitutus, tam ipse,  
 quam exercitus eius, sacra a se caveret, in qua  
 Deum laudare, ac preces fundere, & sacra  
 mysteria percipere possent. Sequebantur enim  
 sacerdotes & diaconi tabernaculo assidentes,  
 qui iuxta Ecclesie ritum eiusmodi officia obirent.  
 Si igitur in hoc tabernaculo sacra mysteria per-  
 cipiebant, & iuxta Ecclesie ritum eiusmodi of-  
 ficia obibant, nullus dubito, talem ambonem  
 vel pulpitem quoque adfuisse. Imo ulterius  
 constat, sæpe non integra templa, sed partes  
 fuisse portatiles. Sic anno 1488. Raimundus  
 Papæ legatus Woldemaro Principi (Anhalti-  
 no) eiusque Conjugi Judithæ permittit, circum-  
 ferre aram portatilem, ad quam in itineribus,  
 etiam excommunicatis locis, missæ possent ha-  
 beri, ut Excell. Sagittarius noster in hist. Princ

b

An-

(a) H. E. l. i. c. 8. p. m. 412.

Anhalt. (a) ex MSto quodam monumento Chæriciano refert. Sic etiam Illustris Seckendorffius in scripto contra Maimburgum (b) notavit, superiori seculo suggestum portatilem fuisse Wormatiæ.

Ut autem in altissima illa Ecclesiæ pace cathedrarum aliarumque sedium formam, & numerum ordinare cœperunt, sic quoque non contenti vili ligno vel lapide vulgari, pretiosam & sæpe ex altero orbe petitam materiam substituerunt. Repetantur ex supra recensitis cathedra D. Marci, locus ex Prudentio notatus, & duo pulpita Romana a Casalio observata. Onuphrius in interpret. vocum obscur. Ecclesiast. (c) in voce *Ambo* scribit: *Quos multos & magnos & pulcherrimis tabulis marmoreis ornatas per urbis Ecclesias & præsertim apud S. Paulum videmus.* Codinus in originibus de Templo S. Sophia: *εποίησε τὸ κιβώριον, καὶ τὰς κίνας, καὶ τὰ σήθρα τῆς θυσιαστηρίου ἐξ ἀργύρου καὶ χρυσαῖσας αὐτὰ τὸ δὲ μῆλον, καὶ τὰ κρήνα, καὶ τὸν σταυρὸν τῆς κιβωρίου ὀλόχρυσον τὸν δὲ ἀμβωνα, καὶ τὴν Σωλεία χρυσᾶ. Confecit & ciborium, columnas, & fulcra altaris ex argento deaurato. Pomum & Lilia cum cruce ciborii ex auro, suggestum item, & solem ex auro. Et ex Cedreno ἡ τρίπλα τῆς ἀγίας τῆς Θεῆς μεγάλης ἐκκλησίας Φανικῆ οὔσα*

(a) cap. 25. §. 2. (b) p. 274. (c) p. m. 92.

οὐσα ἔπιπε, τούτῳ ἀμβωνα, καὶ τῆς σωλείας  
 ἐξ ὀνυχίτης λίθου ὄντας συνέτριψε, καὶ εἰς χᾶν  
 ἀπέτελεσεν. *Trulla sancta Dei magna Ecclesie  
 fornicata cum esset, lapsu suo ambonem, & solem,  
 qui ex onychite lapide erant, contrivit, & in  
 pulverem convertit.* Taceo nunc alios ambo-

nes, qui splendore suo spectantium oculos a-  
 nimosque attonitos tenent. Sed utinam eun-  
 cta mansissent vilia & lignea, forsitan & nunc  
 Christianismus adhuc esset aureus. Cum au-  
 tem nostris temporibus omnia auro fulgere de-  
 bent, cave ne Christianismus splendore interno  
 destituatur. Certe Ildorus Pelysiota (a)

Ἐγὼ γὰρ, εἶπε ἀλλοτρίῳ μὲν ἐπερούμεισο, ἐλό-  
 μην εἶν ἐν τοῖς καιροῖς ἐκείνοις γενηθῆναι ἐν οἷς  
 ἐκκλησιασθεῖα μὲν ἔτω κεκοσμημένα μὴ ἦν  
 ἐκκλησία δὲ Θεοῖς καὶ ἑρανοῖς χαρίσμασιν  
 ἐστεμμένη, ἢ ἐν τῶ τοῖς, ἐν οἷς τὰ μὲν ἐκκλη-  
 σιασθεῖα παντοῖς κεκαλλώπισται μαρμύροις,  
 ἢ δὲ ἐκκλησία τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων  
 ἐκείνων ἐρήμη καὶ γυμνὴ καὶ ὀδύνη. *Ego si mi-  
 hi optio daretur, temporibus illis mallems fuisse,  
 in quibus templa non perinde ornata erant, Ec-  
 clesia autem divinis ac caelestibus gratiis undi-  
 que cineta & redimita, quam his nostris, in qui-  
 bus templa quidem omnis generis marmoribus  
 cohonestata sunt, Ecclesia autem spiritualibus  
 illis gratiis nuda & vacua est.*

Atque in hoc ipso iudicio acquiesco,

b 2

dum

(a) lib. 2. ep. 246. p. m. 336.



dum animus est altera vice in cathedram philo-  
sophicam deducere.

DN. PHIL. LUD. BOHMER,  
Hannov.

Hic superiori anno cum laude absol-  
erat XIX. dispp. logicas & metaphysicas, usque  
per ætatem subjiciet *Theologiam naturalem &*  
*physicam* dispp. XXIV. Animus quidem & illi  
& mihi erat sine intervallo coeptum exercitium  
continuare, sed sæpe nobis Deus otia fecit. Nec  
illud taceo me interdum voluisse explorare,  
impetus ne sine viribus, an firmum hominis  
propositum esset. Pessimus enim ille mos in  
Academiis jamdudum obtinuit, ut collegio-  
rum initium ferveat, medium tepeat & finis  
frigeat. Eleganter Seneca noster vitium hoc  
describit: *Qualis, inquit, ille Homericus Achilles*  
*est, modo pronus, modo supinus, in varios habitus*  
*seipse componens. Quod proprium agri est, ni-*  
*hil diupati, & mutationibus ut remediis uti.*  
Veritati non litarem, si *Böhmerum meum* eo-  
dem morbo laborare dicerem. Idem illi ad-  
huc fervor, qui fuerat ab initio. Instat, ur-  
sit, nec cessavit petendo. Prodeat igitur, &  
monstret quid per hyemem legerit, quidve ru-  
minatus fuerit. Id unicum lubens affirmarem,  
quod in peractis laboribus se virum præstiterit,  
& in futuris non minore virtute sua gerere in  
animo

\* (21) \*

animo habeat, si testis e domo dici vellem.  
Vos Honoratissimi Domini Commiitones ap-  
plaudetis studiis Clare docti DN. Responden-  
tis, si seduli spectatores non tantum sed & au-  
ditores fueritis. Et hoc est quod hoc program-  
mate obnixè rogare voluit praeses, qui vestrum  
in commodum Theologiam naturalem  
publicis lectionibus quoque pro-  
ponet.









# Delineatio discursus prooemialis.

Circa Philosophiam notanda sunt








aturalis.

Premisse  
apparatu  
Theolog  
natur li  
confider  
tur

# Delineatio Theologiae naturalis.

Præmisso  
apparatu  
Theologiae  
naturalis,  
considera-  
tur



Deutsche Theologie

Die deutsche Theologie im 19. Jahrhundert

1800-1810	1810-1820	1820-1830	1830-1840	1840-1850	1850-1860	1860-1870	1870-1880	1880-1890	1890-1900
...	...	...	...	...	...	...	...	...	...

1800-1810	1810-1820	1820-1830	1830-1840	1840-1850	1850-1860	1860-1870	1870-1880	1880-1890	1890-1900
...	...	...	...	...	...	...	...	...	...



Definitio

Et hinc, quod in scriptis

omnium  
quod est  
etiam

omnium  
quod est  
etiam

omnium

8  
r  
(  
t  
&  
d  
ra  
fu  
D  
di  
os  
li  
do  
do





THEOLOGICÆ NATURALIS  
apparatus.

§. I.

**N**E illotis manibus Theologiam  
naturalem aggrediamur, consul-  
tum videbitur præmittere appa-  
raturum Theologicum, i. e. προπαιδύματα  
(a) quæ Theologo (b) naturali ad dogma-  
ta sua rite ex lumine naturæ probanda  
& defendenda conducunt.

(a) Non enim confundenda sunt προπαι-  
δύματα, παιδεία, & ipsa scientia.

(b) Theologia, si vocis originem spectes, dicit  
rationem sive orationem de Deo. Si vero u-  
sum respicias, significat habitum cognoscendi  
Deum, resque divinas ex principia suis deducen-  
di, probandi, confirmandi & contra adversari-  
os defendendi, ita ut officium Theologi natura-  
lis præcipue consistat in explicando, probando ac  
defendendo, vel, ut alias uno verbo effertur,  
docendo.

Inter ea vero numeramus Logicam, (a) Metaphysicam, (b) Physicam (c) & Mathematicam (d).

(a) Subministrat modum sciendi, ut omnibus scientiis, sic etiam huic; monstrat quamam & quibus & quomodo demonstrationum genera applicanda sint; quæ rationes analyticae, quæ non, quinam Theologiae naturalis limites constituendi, ne cum quibusdam Platoniceis antiquis, nec non Eugubino, Raymundo de Sabunde, Gvilielmo Postello, Keckermanno, Vedelio, aliisque hoc in passu erremus. Præterea adversariorum quoque probationum genera, pseudographicum, sophisticum, & inter duo hæc interjectum evitare docet.

(b) Nil dicam de divisione Metaphysicæ in partem generalem & specialem, priorem & posteriorem, ubi semper ultima pars Deo aliisque substantiis immaterialibus tribuitur; sed ejus in hac scientia necessitas exinde patet, quia terminos communissimos, principia omnium prima, distinctiones universalissimas accuratissime explicat, & pertractat, quibus hæc scientia carere non potest tam in officio didascalico, quam e-  
lenchtico, prout id per omnia Theologiae naturalis capita ostendere facile esset.

(c) Tæ-

(c) Taceo Aristotelem, qui in libris physicorum tractationem de Deo, tanquam primo motore suscipit, & ex recentioribus præter alios Isaacum Cardoso, qui Philosophiæ suæ liberæ, l. e. Physicæ librum VII. de Deo inscribit, atque in eo de illius existentia, essentia, atque attributis ex professo agit. Annon præcipue Deum demonstrandi rationes ex Physica desumuntur, utpote ex universi ordine, pulchritudine, mole & motu, ipsis creaturis earumque esse, ut & miraculis? at unde harum rerum plenior cognitionem, nisi ex Physica, sine qua, si rem recte æstimare velimus, feliciter nunquam proædi poterimus.

(d) Ratione & veterum testimoniis fretus præcerto nunc habeo, olim nobilissimam hanc scientiam inter *πεπρακτα* omnium prima fuisse recensita, ut ingenium acuat, & ad divinarum intuitum mentem exornet; aliosque his adminiculis non instructos longo intervallo post se relinquat. Ex alio quoque capite hujus scientiæ necessitatem commendare necessum video, quia nimirum partim ex antiquis Pythagoreis plurimi doctrinam de Deo numeris obscuram reddiderunt, & quidam ex recentioribus solidam demonstrationem de Dei existentia ex numeris conficere laborant. Nec his nec illis satisfacere poterit Theologus naturalis, nisi numerorum doctrinam & geometricum demonstrandi modum probe calculet.

*Theologia Naturalis*

leat. Agitur quidem cum hoc hominum genere ex principiis communibus. Sed frustraneus erit omnis ille labor, nisi cum illo egeris ex principiis propriis.

§. III.

Huc referri quoque debet Historia Philosophica (a) ut ex illa Theologorum naturalium sectas (b) earumque in hac scientia sententias, nec non scriptorum in Theologia naturali (c) notitiam acquirere possimus.

(a) Requiritur enim ad iudicii integritatem & parallelismum philosophorum gentilium & christianorum.

(b) In Sectis Theologorum naturalium duo semper sunt attendenda, quæ de Deo cognita habuerint, & quem ei exhibuerint cultum; prius est intellectus, posterius voluntatis munus, quod, ut infra patebit, Theologia naturalis urgebit.

(1) Antiquissima & perfectissima Theologia naturalis fuit Adami, ob perfectissimum operationis subjectum, sed mox tristia fata habuit. Illius tamen rudera in moratoribus ejus posteris sancte asservata fuerunt.

(2) Proxima est Ægyptiorum, quæ natales debet Mercurio Trismegisto, quem Huetius, & ante eum Artapanus apud Eusebium, eundem facit cum Mose, & sic non priorem hoc,

hoc, ut vult Simplicius. In ea Theologi Ægyptiorum intenderunt omnem nervum, ut cuncta Hieroglyphicis involverent. Dei enim definitionem si desideres; erit circulus, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam; licet alios modos quoque habuerit Trismegistus describendi Deum, utpote (1) per attributa quædam absolute convenientia, (2) per negationem. (3) per analogiam & metaphoram. (4) per contradictoria. (5) per relationem, qua sub obscuram Trinitatis cognitionem, triangulo æquilatere exhibitam, habuisse quibusdam dicitur. In cultu quoque, si ulla gens, certe hæc magnam animarum rituum expiandum rationem habuit, magnoque desiderio ad Deorum consortium per sacrificia, ritus, ceremonias, & suffimigia adspiravit. Conf. Athan. Kircherus *Oedipi Ægyptiaci Tom. I. Class. 12 quæ tota de Theologia hieroglyphica agit*, & Tom. 3. ἀνακταλαύσει τοτιος operis pag. 568 seqq. Jamblichus de mysterio Ægyptiorum. Ita ut ex recentioribus Jo. Marsham. in *canon. chron. Ægypt. hebr. græc.* pag. 189. & Jo. Spencerus in *dissert. de Urim & Thummim. cap. 4. s. 7.* eo abierint, eorum ritus ad alios populos translatos etiam ad Ebræis, (non sine emendatione forsan) usurpatos fuisse, quibus tamen obviam ivit Hermannus Witsius in *Ægyptiacis*, multæ eruditionis libro.

(3) Ex ead. schola prædiit secta Pythagorica,

A 3

rica,

rica, quippe Pythagoras quartus in Theologia à Mercurio successor habetur. Eadem proponit, sed neglectis monstrosis illis hieroglyphicis, cuncta numeris tegit, hinc Deus ipsi est monas, unitas, radix omnium, fons & origo. conf. Kirch. tom. 3. l. c. Hannibal. Ross:is tom. 1. in Pimandrum Mercurii p. 9. & seqq. Cultus Dei apud hunc certis Symbolis continebatur, quæ ab autore Pythagorica appellantur, inter quæ huc spectant sequentia: *Cum veneris in templum, adom: perfunctorie templum ne ingrediaris: nudis pedibus sacrifica: de divinis ne sine lumine loquaris; in annullo ne Dei gestes imaginem: circumactus adora: ne unguis incidito in sacrificiis &c.* Conf. Jamblichus in vita Pythagora. Eugubin. de perenni Phil lib. 3. c. 3. adde Moralitatis arcana ex Pyth. symbolis à Franc. Bernio Ferrar. edita.

(4) Hanc excipit secta Platonica, in qua Ægyptiorum Theologia absoluta à Platone, sexto Theologiæ Doctore, putatur. Hic dogmata ipsa assumpsit, & involucra tam Ægyptiorum quam Pythagoreorum removit, nondum tamen satis aperte. Deo tribuit unum, bonum, pulchrum, & præter hæc rationem quoque & consilium. Monente Piccaro in oratione de Theologia Aristotelis & Platonis id peculiare Plato habuit, quod Deo providentiam adjudicaverit. Secundum ipsum Deus est nusquam & ubique. Ex scriptis ejus dif-

difficile est ostendere, an mundum a Deo productum, an æternum esse statuerit, cum pauca supersint loca, quæ tale quid præ se ferunt, inter quæ etiam illa sunt de productione divini verbi. Cæterum in illis, quæ ad gloriam Dei & incendendam pietatem hominum manifesto pertinebunt, palam semper sententiam dixit, aliter tamen, si de rei veritate agebatur, ubi timidus fuit, & non dubitavit profiteri, se nihil certi super eo scire; Ut vel ex hoc, & argumento libri de Republ. satis constat, quem ipse cultum Deo debitum præscripsit. Conf. *Eugvinum de perenni Philosophia l. 5 Piccart. l. c. Hærium. p. 80. seqq. Theophili Raynaudi breviculum Theologia natural. præmissum Theologia naturali p. 31. seqq. Anton. Possevinum Bibliotheca selecta l. 12. p. 21. seqq.*

(5) Sequitur secta Peripatetica, quæ inter gentiles perspicuitate ac luciditate reliquis in tantum palmam eripuit, ut teste *Dn. Dreyero in Dissert. 1. in primam sapientiam §. 17.* in nulla Philosophia minus absurditatum inveniantur, quam in hac, nec ulla magis cum veritate Christiana conveniat, secus quam putat Thomas Campanella. Caput ejus Deum ut omnium notissimum, ita omnium quoque ignotissimum statuit. Eum esse demonstrat ex motu, ipsum esse immobilem, æternum, necessario esse, semper esse, unum esse, neque posse esse corpus. Conf. *Piccart. Orat. de*

*Theologia Platon. & Aristotelis.* Providentiam tamen, qua rebus singulis Deus prospicit, secundum quosdam non tetigit. Licet, si liber de Mundo Aristotelem auctorem agnoscat, & loca quaedam alia attendantur, id aliis aliter videatur. Ipsi Deus non est causa efficiens mundi, sed finis & forma, ceu ex quibusdam locis id colligitur. Cultum quoque Dei non neglexit: nam in libris de Republ. cum de his ageret, quæ sint in civitate necessaria, primumque alimentum numerasset, tum artes, tertio arma, quarto copiam aliquam pecuniariam, subjicit quintum & primum cultum Dei, quem religionem vocat. Paulo post: a civibus enim convenit coli Deo: & iterum: convenit cultum reddere Diis. Adde locum *Etb. ad Nicom. l. 10. cap. 9.* confer de his *Eugubinum l. 4.* ubi inter alia compendium Theologiæ Aristotelis, per quod librum de mundo intelligit, exhibet. *Jo. Zeis. tract. de consensu & dissensu Aristotelis cum S. Scriptura, Disputat. 1. Raynaudus l. c. p. 33. Henricus Capredonus in Theologia Aristotelis. (Venet. 4. 1690.) Jo. Faustii Examen Theol. Gentilis, quam docuit Aristoteles, (Argent. 4. 1663.)*

(6) Secta Epicurea Dei existentiam ex anticipatione generali deducit, eumque esse immortale beatumque animal, figura humana præditum, non corpus, sed quasi corpus, nec sanguinem, sed quasi sanguinem habens,  
non

non esse mundi causam, nec in eo regimen ac providentiam exercere sive generalem sive specialem, Conf. *Petri Gassend, phys. sect. 1. l. 4. p. 290. seqq.* Deum colebat hujus sectæ autor, (teste *Seneca 4. benefic. c. 19.*) nulla spe, nullo pretio inductus, sed propter ejus majestatem eximiam supremamque naturam: Ita ut affectus pietatis Epicuri erga Deos ineffabilis fuisse Diogeni Laërtio dicatur. Caterum superstitiosos Ethnicorum ritus contempsit, unice sectatus puram religionem, Conf. *Gassend. de vita & moribus Epicuri l. 4. toto. qui agit de objecta Epicuro impietate p. m. 200. seqq.*

(7) Secta Pyrrhonica vitam communem sequens, nulli autem opinioni adhærens, dicit esse Deos, & coli Deos, & providentiam illis tribuit, nihilominus statuit impietatis crimen effugere non posse, qui asseveranter Deum esse dicunt, hinc dogmaticorum de Deo argumenta omnibus viribus destruit, totamque de Deo quæstionem in dubio versari contendit. Conf. *Sextus Empyricus Pyrrhonicarum hypoth. l. 3. c. 1. & idem adversus Mathematicos l. 8. p. 258. seqq. adde Logicam sive artem cogitandi, dissert. proœmial. 1. p. m. 5. & seq. ed. lat. Londin.*

(8) Stoicorum Secta, quæ teste Lipsio Christianianorum placitis proxima est, Deum sub materiæ nomine putat esse ignem artificiosum, spiritum, animum, mentem, rationem,

nem, quæ per omnia diffunditur: esse ejus notitiam obscuram aut impenetrabilem, nihilominus ei attribuunt unitatem: eundem bonum & beneficium esse, & hanc velut propriam notam & nomen; esse providum & curatorem omnium atque singulorum, & ex eo consequi fatum, quod tamen in Deo libertatem non tollat: Ubique quidem esse, sed conspicua tamen sede, in cœlis. Dei cultum hæc schola vel maxime urgebat, quod ex communi illa apud Stoicos formula, secundum naturam i. e. Deum vivere (quæ & similes sententiæ ad Dei sequelam ducebant, tanquam ad primum finem) colligere datur, conf. *Lipsii manuduct. ad Philosoph. Stoicam, & ejusd. Physiologiam Stoicam. Eugubin. l. 6. toto.*

(9) Ab his distincta fuisse videtur Secta Atheorum, in quorum numero olim erant, Diagoras, Protagoras, Theodorus, Ephemerus, Critias, qui ita dicebantur, non quod Deum supremumque aliquod numen negassent, sed quod Gentilium Deos, numerumque Deorum multiplicem publice rejicerent, atque irriderent, unicum vero Deum agnoscerent, & mente ac cultu prosequerentur.

Et hæc sunt præcipuæ veterum Theologiæ naturalis Doctorum sectæ non habito respectu, sive sua per rationem sive per traditionem habuerint. Mediæ ætatis sectatores ad quædam ex his capita, quantum quidem mihi vide-

videtur reduci possunt. Quid recentiorum scolarum magistri ex veteribus denuo proferant vel novi habeant, in ipsa Theologia naturalis tractatione patebit.

(c) 1. Ex Ægyptiis Theologia naturalis scriptoribus superesse quibusdam putantur nonnulla Hermetis Trismegisti scripta sub Pimandri nomine nota, quæ S. Augustinus stupuit & aperte fassus non humano ingenio tantum, sed divini Spiritus afflatu correptum tot ac tanta sive ipsius Ebræis ignota, solisque Patriarchis nota protulisse. Sed ut olim de quibusdam fuit dubitatum, sic ob varias rationes B. Conringius in *Medicina Hermetica* L. 1. c. 4. § 5. a. p. 37. 47. idem agit; & Hærius demonstrat. *Evang.* p. 102. à primi secundive seculi christianiis male feriat, & ut videtur, hæreticis suppositos fuisse putat. Licet veterum testimoniis fultus non penitus negaverim, Mercurium Ægyptiorum more columnis hac de re quædam inscripsisse, quæ seqq. temporibus sacrificuli excerpserunt, additis forsan suis commentis. Defectum hunc supplere potest Jamblichius de mysteriis Ægyptiorum, qui sua ex columnis Mercurii hausisse sub initium libri scripsit. Addi idem autor potest in Pythagorica secta de vita Pythagoræ, ubi late exponitur, quæ mens Pythagoræ fuerit, tam ratione cognitionis, quam cultus divini.

(2) In

(2) In schola Platonis discipuli suum præferunt magistrum, a quo Theologiam totam doceri ajunt in Parmenide, ita ut nemo præter Platonem, idcirco θεῶν dictum, Theologiæ rationem subtilius attigerit. Vid. *Bessarionem L. 1. c. 7. contra calumniatorem Platonis*. Plura etiam his familia in *Sophista*, in *Politico*, in *Phædone*, in *Philebo*, in *legibus*, in *epistolis*, &c. differuit, quæ tamen omnia Galeno, citante *Vossio de Philosophia c. 17. p. 143.* logica magis sunt, quam metaphysica: Cui judicio subscribere equidem non possum. Juvabit hanc partem Plotinus in hac schola princeps, in suis *Enneadibus*. Proclus l. 6. de *Theologia Platonica* atque integra ejusdem *εἰρησιστε* Theologiæ Platonicæ: Aicinoi *Epitome dogmatum Platonis*, Numenius Ameliius, qui Joannis Evangelistæ Theologiam probavit, sed hominem barbarum censuit, vid. *Bessarion. l. 2. c. 4. p. 15. b.* Porphyrius Jamblichius &c. quos tamen omnes mysticos ac symbolicos esse, ac omnia ad suas Triadas revocare iterum vult Vossius, in quo mihi cum eo convenit.

(3) In Peripato etiam Vossius Aristotelem Platoni præfert, ob tres postremos libros *Metaphysicorum* & alios quatuordecim sub nomine Aristotelis de Theologia seu mystica *Philosophia* secundum *Ægyptios* vel de occultiore parte divinæ sapientiæ inscriptos. Laudat hos  
Pe-

Petrus Nicolaus Faventinus, (teste *Conrado Gesnero in bibliotheca ad nomen Aristotelis*) rejecit eos, tanquam spurios, *Patricius discussionum peripateticar. tom. I. L. 3. p. 28. seq.* Alii vero magnam operam eum præstituisse non credunt, & ob id *δαυμόνιον* saltim dictum fuisse, respicientes *Ammonii* in vita Aristotelis testimonium, quod sic se habet: *Theologia quamvis nihil addidit, tamen de ea nihil deminuit & determinavit &c.* A quorum partibus *B. Job. Musæus, quoque in Introd. in Theol. c. 2. §. 2.* non multum abire videtur, cui ut planissime subscribo, sic dubito, an veram causam reddiderit *Bessarrio L. 2. c. 4. p. 16. A.* quod Aristotel. de divinis non tractaverit, quia non voluit in rebus versari, quæ probari manifesta ratione non possunt. De hinc ex Aristotelicis commendantur *Theophrasti Eresii* egregium fragmentum, quod superest. Post hunc per aliquot secula non habeo, quem laudem, si exceperis commentatores quosdam in Aristotelis *Metaphys.* ut *Alexandrum Aphrodisiensem, Themistium & Philoponum.* Seculo demum XIII. postquam *Philosophia* diu apud Arabes quasi captiva fuerat, exire quidam post *Lombardum XII.* jam seculo, inter quos *Alexander de Ales, Albertus M.* qui *Metaphys. Aristotelis* commentariis non contemnendis illustravit; *Thomas de Aquino*, cujus prima pars *summæ præcipue* huc spectat, quia lucem plurimam

r imam

rimam fert L. XII. Metaphys. Secul. 14. Jo. Duns, alias cognomine *Scotus*, Alexand. de Alexandria, Wilh. Occam. Qui hos longo ordine sequuntur, Scholastici dicti, in certas sectas Thomistarum, Scotistarum, & Occamistarum scissi sunt. Cuius integrum, horum nomina nosse, adeat eledichum Scholasticorum, qui vel in Magistrum sententiarum vel Thomam vel alios commentati sunt, apud *Possevinum in Bibliotheca selecta* l. 3. C. 15. p. 142. seqq. *Conf. Calixt. in apparatu Theolog. p. 139. seqq.*

(4) Ex superiori nostroque seculo forte plures huc referri merentur. Raymundi de Sabunde Theologia naturalis seu liber creaturarum, Augustinus Steuchus Eugubinus in libris decem de perenni Philosophia; Gvilielmus Postellus in Opere de orbis terræ concordia libris 4. in quibus tribus autoribus, quæ lectu cognituque dignissima sunt, quidem inveniuntur; sed tamen limites Theologiæ naturalis, quam scribere in animo habebant, transgressi fuerunt, dum de Trinitate, æterni filii generatione, aliisque Theologiæ revelatæ capitibus ex lumine naturæ tractant. Nicolaus Bonnetus in Theologia naturali reliquis Philosophiæ partibus conjuncta (Venet. 1505.) Joh. Ludov. Vives de tradendis disciplinis tom. 3. lib. tribus: ubi de prima Philosophia agit. (Colon. 1536. 8.) Joh. Francisci Pigi examen vanitatis doctrinæ gentium & veritatis disci-

disciplinæ Christianæ quod continetur Tom. 2. operum (Basil. 1519.) Philippus Mornæus de veritate religionis Christianæ. Joh. Henr. Alstedius in Theologia naturali. Petri Lesca- loperii humanitas Theologica, in qua Cicero de Natura Deorum commentario illustratur. Theophil. Raynaud. Theologiæ naturalis seu entis increati & creati intra supremam abstractionem ex naturæ lumine investiga- tio (Lugd. 4. 1622.) Briganius de Theologia Gentium. (Venet. 4. 1622.) Joh. Frider. Her- varti miranda Ethnicæ Theologiæ mysteria. (Aug. Vind. 4. 1627.) Thomas Campanella, qui tamen divi Thomæ vestigia non pressit in Philosophia universali sive metaphysicarum rerum juxta propria dogmata libris 18. (Paris. f. 1638.) Et Osiandro magis cum dæmone forsan, quam cum Deo habuisse commercium putatur. Ludovici Granatensis Philosophia Christiana de opere creationis, & quomodo per creaturas ad creatoris cognitionem perve- niatur. (Ingolstadt. 8. 1650.) Stephanus Kloz, Pneumatica sive Theologia naturalis (Ros- tochi. 8. 1640.) Joh. Caramuel. (Francos. f. 1654.) Jo. Meisnerus, Kilian Rudrauff. in Theo- logia naturali (Gießæ 4. 1657.) Henr. Scheurl. Theologiæ naturalis epitome (Wolffenb. 4. 1650.) Balth. Cellarii epitome Theologiæ phi- losophicæ sive naturalis ex Aristotele & li- bris de Mundo concinnatæ, scholasticorum doctri-

16 *Theologia Naturalis appanatus.*  
doctrina illustrata & cum S. Scriptura col-  
lata. (Helmstad. 4. 1651.) Jo. Claubergii centuria  
exercitationum de cognitione Dei & nostri se-  
cundum Philosophiam (Duysb. 8. 1656.) Io. A-  
dami Osiandri Deus in lumine naturæ represen-  
tatus (Tübing. 4. 1665.) Alphonfi Anton. de Sa-  
raffa S. J. ars semper gaudendi demonstrata ex  
sola consideratione divinæ providentiæ (Colon.  
4. 1676.) Theologia naturalis adhuc manuscrip-  
ta (1669.) B. Peiri Musæi. Tob. Pfanneri syst.  
Theol. gent. (Genev. 4. 1679.) Theologia natu-  
ralis sive controversiæ illustres de Deo Jo. Wolff.  
Jäger. (Tubing. 8. 1634.) Vdalrici Heinsii Theo-  
logia (Jenæ 4. 1685.) Gerardi de Vries exercitatio-  
nes rationales de Deo divinisque perfectionibus  
(Traject. 4. 1685.) Tandem Theologiæ huius natu-  
ralis, tanquam scientiæ practicæ, delineatio-  
nem nobis adhibuerunt B. D. Musæus, post fa-  
ta quoque nunquam non prædicandus, in In-  
troduct. in Theologiam integro cap. 2. & Max.  
Reverend. Dn. D. Bajerus in Theologia positiva  
tunc temporis adhuc manuscripta, quorum  
vestigia, quantum per vires licebit, legemus.

Hæc ergo sunt illa, quibus si quis probe  
initiatu fuerit, inoffenso pede ad Theolo-  
giæ naturalis sacra progredi po-  
terit.

THEO.

THEOLOGIA NATVRA-  
LIS POSITIVA

De

*Natura & Constitutione Theo-  
logiæ Naturalis.*

§. I.

**T**heologia naturalis (a) vivocis denotat orationem seu rationem de Deo rebusque divinis ex lumine naturæ: ex usu vero scholæ significat quandam de Deo rebusque divinis ex principiis naturæ acquisitam scientiam (b). Est ex numero ἑὸν πολλαγαῶς λεγομένων (c) & variis oratur titulis.

(a) Ratio denominationis desumitur ab objecto & modo illud investigandi. Est enim περὶ τῶ ὁσὶ λόγῳ ad utrumque indifferens 1. *Metaph. cap. 12. & 11. Metaph. cap. 6.* qui instituitur secundum luminis naturæ drincipia.

(b) Ex usu λόγῳ in compositione innuit cognitionem habituaalem. Cum vero qualiscunque habitus cognoscendi Deum etiam in simpliciores cadere possit, ulterius requiritur, ut sit scientificus, vi cujus docens conclusio-

B

nes

nes de Deo ex suis principiis deducere, confirmare  
& defendere potest.

(c) Sumitur I. pro quavis rerum difficilium  
cognitione. Non enim insolitum res obscuras  
& difficiles dici divinas. Conf. *Arist. Metaph. 6.*  
*cap. 1. & L. II. cap. 6.* Ubi eam ob causam Me-  
taphysica Theologia dicitur. II. pro quovis de  
Deo sermone: Hinc Philosophi Gentiles, Ora-  
tores & Poetæ, qui de divinis sive dixerunt sive  
scripserunt quippiam, Theologi & Θεολογί-  
σταις dicebantur. Vid. *Arist. L. I. cap. 3. Me-*  
*ta. & Lib. 9. cap. 4. Lactantium de ira cap. II.*  
Ipsa autem Theologia apud illos triplex erat,  
Fabulosa, Naturalis & Civilis. Prima secun-  
dum Varronem maxime accommodata est ad  
theatrum; secunda ad mundum; tertia ad ur-  
bem; prima & ultima abusive Theologia dicun-  
tur, ab ipso *Arist. Metaph. 12. cap. 8. sub finem.*  
rejectæ: media Theologiæ nomen meretur, si  
in se spectetur & quatenus philosophi objecto  
conformia protulerunt. Conf. *Augustin. de C.*  
*D. I. 6. cap. 5. Lactantium de falsa religione lib. I. 12.*  
*17. Ger. Jo. Voss. de Idolol. pag. m. 157.* III. pro  
habitu Deum resque divinas cognoscendi scien-  
tificæ, quæ significatio est hujus loci.

(d) Videtur ac si hæc scientia olim sapien-  
tiæ nomen obtinuerit. Hinc secundum *Arist.*  
*Eth. 6. 7.* Anaxagoras & Thales sapientes dicti  
fuerunt, quia admiranda difficilia & divina co-  
gno-

gnoverunt & i. Metaph. 2. cap. probatur, quod scientia rerum divinarum sapientia sit. Ab aliis Philosophia simpliciter, Theologia Philosophica, Pneumatica, scientia quarta & scientia quinta salutatur.

## §. II.

Dari talem habitum qui Theologia naturalis dicitur, patebit ex objecto scibili (a), Deo nimirum tanquam fine hominis summo, per lumen naturæ cognoscibili.

(a) Scibile secundum Aristot. est causa & mensura scientiæ, ii. Metaph. cap. 6. Atqui hic datur scibile objectum solo naturæ lumine cognoscibile. Deum enim & præcipue tanquam summum hominis finem per naturæ lumen cognosci posse certum est. Ergo ex lumine naturæ acquiri potest de illo scientia.

## §. III.

Theologia naturalis est scientia (a) practica (b) homini viatori (c) cognitionem Dei cultumque ei debitum & convenientem (d) ex lumine naturæ monstrans, præscribens, eumque explicans, confirmans & defendens consequendæ de Deo & a Deo felicitatis æternæ causa.

(a) Est enim habitualis cognitio objecti maxime necessarii, conclusiones de eo ex principiis deducens, ceu videre est in demonstrationibus & a posteriori (quas adhibet in Dei existentia & perfectionibus essentialibus investigandis) & a priori (quibus utitur in deducendis ex jam demonstrata Dei essentia & conclusionibus practicis, & interdum quoque, quibusdam attributis) ac denique ad absurdum deductione.

(b) Talis dicitur à fine, cum post objecti contemplationem tendat ad praxin, in hac conclusiones simpliciter practicas, in illa virtualiter tales tradens. Nam cum Deus duobus modis ex lumine naturæ considerari possit; uno absolute, quatenus est ens a materia sensibili realiter abstractum; altero respectivo, quatenus est hominis finis simpliciter ultimus & summa felicitas, necessum erit, si plenam de Deo tractationem Theologus naturalis suscipere voluerit, eam ad instar practicæ scientiæ docere. Quod vero Theologo naturali hæc tractatio competat, probat *B. Musæus in Introductione in Theologiam cap. 2. §. 1. num. 4. p. 24. seq. seqq.* rationibus. I. Nulla alia disciplina philosophica assignari potest, quæ hac ratione hoc objectum tractet. II. Si ejus est agere de Dei essentia & essentialibus perfectionibus, Ergo etiam de eodem agit ut summo bono, quod in illis consistit. Si hoc

hoc, Ergo etiam media tractat, cum alias unius  
 ejusdemque scientiæ sit agere de fine & de mediis.  
 III. Dei essentia & perfectiones essentielles continet  
 in se radicaliter regulam rectæ operationis, i. e. conclusiones  
 formaliter practicas; ejusdem vero disciplinæ est considerare suum  
 objectum, & regulam operationis, ceu inductione constat. E.  
 IV. Scientiæ speculativæ circa rem in se spectatam versantes  
 satiant hominis appetitum, cognitione rei nuda. Theologia vero  
 naturalis eum non satiat cognitione Dei nuda, sed quo plenius  
 cognoscit, eo majori fruendi desiderio tenetur appetitus, ita,  
 ut ejus perfectiones cognitæ ex parte intellectus sint ratio  
 cognoscendi media, quibus ad ejus fruitionem perveniendum  
 sit, & ex parte voluntatis appetitum ad operationem dirigat,  
 per conclusiones practicas.

Reliquæ differentiæ partes assignari possunt  
 vel ex eo, quatenus Theologia naturalis est scientia,  
 vel quatenus est practica. Si priori modo, illæ  
 sumentur ab objecto materiali & formali: Si  
 posteriori, a partibus scientiæ practicæ. Est  
 vero hujus scientiæ objectum formale, vel id,  
 ex quo prius cognitio ea conclusiones suas  
 deducit, duplex: vel proximum & proprium,  
 quod est Deus ex lumine naturæ cognitus,  
 sive, quod ad idem redit, propositiones Dei  
 existentiam, essentiam & perfectiones  
 essentielles, quæ vel per discursum vel  
 citra, im-

*Theologia Naturalis*

mediate ex lumine naturæ cognitæ sunt, declarantes; vel remotum sive commune, quod est lumen sive principia naturæ, in quantum ad effectus Dei applicata conclusiones de Dei existentia & perfectionibus essentialibus inferunt. Materiale autem objectum, i. e. res, de qua scientiæ conclusiones infert, est subiectum operationis, causæ & mediæ consequendæ felicitatis, ut & ipse Deus huc referri potest, in quantum ejus existentia & attributa ex effectibus demonstranda sunt.

(c) Nimirum si Theologia naturalis consideratur ut practica, tunc partes differentię summæ possunt 1. a subiecto operationis homine scilicet, qui secundum animam, ejusque duas facultates intellectum & voluntatem per Theologiam perfici debet, ut rite operari & finem tandem consequi possit.

(d) Hæc sunt mediæ, quæ Theologia naturalis præscribit & exigit, non quidem in significatione strictiori, quæ finis consequendi causæ proprie dicta efficiens aut meritoria sunt; sed latiori, quæ habentur ut causæ sine quibus non, vel conditiones ex parte subiecti, cujus etiam facultates respiciunt, requisitæ.

(e) Qui est finis objectivus sive objectum circa quod operatio subiecti occupata est, quia Deus hic ut summè bonus, & qui unice appetitum nostrum satiare potest, consideratur.

(f) Quæ

(f) Quæ est finis formalis sive operatio circa illud objectum, & alias hominis beatitudo simpliciter dicitur.

## §. IV.

Hinc tres sunt Theologiæ naturalis partes (a). Prima agit de fine tam objectivo (b), qui est Deus secundum essentiam & perfectiones essentielles, quam formali, qui est consecutio & adeptio illius (c). Secunda de subjecto operationis, quod est homo ad felicitatem æternam tendens, cujus duæ facultates hic excutuntur secundum illarum essentiam, vires, debilitates, durationem, &c. (d). Tertia de mediis finem illum consequendi, quæ sunt actus cognoscendi & colendi Deum per pronam consequentiam ex prioribus partibus deducti (e).

(a) Vulgo dicunt esse hanc methodum analyticam practicis scientiis convenientem.

(b) Est enim finis primum in intentione, primum movens, norma & mensura reliquorum.

(c) Finis adæquatus dicitur beatitudo æterna, constans ex duobus inadæquatis, objectivo nimirum fine & formali.

(d) Hæc ratione tractandum esse subjectum operationis svadet Theologiæ naturalis finis,

ex quo de illo, ut in aliis scientiis, sic etiam hic iudicium ferendum est.

(e) Ut natura non facit saltum, sic quoque naturaliter sine mediis ad finem pertingere non possumus.

---

PARTIS PRIMÆ  
de Fine

S.E.C.T.I.O. I.

De

DEO

tanquam Fine Objectivo.

§. I.

**N**omen Dei ut in omnium ore est, sic in illius natalibus assignandis non conveniunt eruditi (a). Omnes tamen id pie deducunt ex quibusdam fontibus, vel ad certa quædam alludunt. Alii vero sic deductum ad plura vel improprie vel abusive referunt (b).

(a) Damascenus, qui hanc vocem *θεοῦ* Dei vocat, tres illius adducit derivationes. I. Ex *τρέθειν* a currere, quasi Deus omnia percurrat, ambiat atque disponat. II. Ex *τρέθειν* ab urendo, quasi Deus virtute sua, tanquam igne, cuncta efficiat, & effecta fo-  
veat.

veat. III. ἀπὸ τῆ βεῖδοσσι a contemplan-  
do, quasi Deus omnia praesentia habeat, vel  
quod ipse contemplationis nostrae objectum es-  
se debeat. Alii Ἐκ τῆ δειν quasi omnia suo  
imperio liget; vel Ἐκ τῆ δαίμων quasi omnibus  
epulum praebeat, & sic ea conservet; vel a θεός ti-  
mor, qui secundum quosdam, primos in orbe  
fecit Deos, vel quia Deus ab omnibus timen-  
dus; vel ἀπὸ τῆς θέσεως a positione, quia  
Deus omnia numero, mensura & pondere  
disposuit. Ex Latinis Festo dictus est Deus,  
quasi ei nihil desit, vel quod omnia commoda  
det hominibus.

(b) Nomen Dei dicitur I. secundum sub-  
stantiam, pro summo illo bono, quo melius  
excogitari non potest. II. secundum grati-  
am, propter divinum aliquod munus commis-  
sum. III. secundum mendacium de Diis Gen-  
tilium, qui erant vel consentes, quales duode-  
cim Jupiter, Neptunus, Apollo, Mars, Vulca-  
nus, Mercurius, Juno, Vesta, Ceres, Diana, Mi-  
nerva, Venus; vel tantum selecti, quales 8.  
Sol, Luna, Tellus, Genius, Janus, Saturnus,  
Liber & Pluto; qui viginti constituunt Deo-  
rum Senatam, & dicuntur majorum gen-  
tium Dii; vel nec consentes, nec selecti, sed  
solum indigites, qui notorii homines fuere,  
ob potentiam autem vel utilitatem inter Deos  
relati credebantur; & hi quasi equestrem ordi-  
nem repraesentabant: ut: Hercules, Aescula-  
pius

pius &c. vel mere animales aut naturales, quorum magna copia. Conf. *Voffium de O. & P. idolol. lib. 9. pag. m. 246. ad finem libri.* Nostræ considerationis erit prima acceptio.

## §. II.

De Deo nemo licite dubitare potest tam diu, donec eum clare & distincte, perceperit, cuncta de eo interim pro falsis habens; cum, ut alias admiratio Philosophiæ mater dicitur, sic talis dubitatio fecunda multorum malorum Parens foret (a), etiamsi quis illam tanquam medium perveniendi ad clariorem cognitionem veritatis sibi proponat (b).

(a) Non est animus, omnem ex Philosophia exterminare dubitationem, quam Ammonius dixit ἀρχὴν τῆς εὐπορίας, Alexander ὁδὸν πρὸς εὐπορίαν, & Arist. passim locorum præcipue autem 3. Metaph. cap. 1. (qui liber alias dubitationum salutatur) magni semper habuit. Hi enim per dubitare intelligunt difficultates speculari, in utramque partem, Dialecticorum more, differere, neque de omnibus dubitare concedunt, sed de istis tantum, de quibus aliter quidam existimarunt, & si quid ultra hæc prætermisum est. Ast Cartesius de omnibus dubitat, etiam de ipsa Dei existentia. Prius colligo ex *differt. de Metho.*

rhodo S. 4. p. m. 25. ubi hæc habentur verba :  
*Illæ omnia , in quibus vel minimum dubitandi  
rationem possem reperire , tanquam aperte fal-  
sa esse rejicienda.* Conf. *principia philosophi-  
ca parte 1. §. 1. & seqq.* Vbi inter principia  
humanæ cognitionis refert , semel in vita de iis  
omnibus dubitare , in quibus vel minimam in-  
certitudinis suspitionem reperiemus ; quin &  
utile est illa habere pro falsis. Posterius , ni-  
mirum de Dei existentia quoque dubitan-  
dum esse , expressis verbis continetur in E-  
pist. decima Tom. posterioris , ubi duabus re-  
spondet quæstionibus : utrum de Dei existen-  
tia dubitare liceat , & utrum liceat quicquam  
falsi in iis , quæ Deum spectant , supponere ?  
In quo tamen ipsi cum discipulis præcipue  
Jo. Claubergio non convenit , qui in initiatio-  
ne Philosophi , sive libello de dubitatione  
Cartesiana , Deum , res fidei & negotia vitæ  
civilis a dubitatione removet ; quod uti pro-  
bare necessum habemus , sic tamen contra Ma-  
gistri mentem id fieri judicamus. Rem ipsam  
quod concernit , Cartesii processum laudare  
non possumus ob sequentes rationes. Nam I.  
Hic philosophandi modus notitiam , quam ha-  
bemus , tollit , & ignorantiam inducit. II. Quia  
imperfectionis est , animum assensu ejus co-  
gnitionis destitui , quem explorata rei veritas ,  
qualis est numinis cognitio , secum adfert.  
III. Quia ne quidem de illis omnibus licite  
dube-

dubitatur, quæ nobis sunt incerta, quia certa & perspecta esse debebant, Sic ergo multo minus licite ejus dubitabit, qui cum sciat Deum esse, ejusdem existentia ignorantiæ affectat, & suæ menti ejus incertitudinem inducere conatur, cujus antea habuit certam cognitionem. IV. Talis modus in notitiam Dei deveniendi non est adhibendus, qui omnis impietatis est occasio & radix malorum; dum cultum Deo debitum & justitiam, societatis humanæ vinculum tollit, & certissimam ad atheismum viam sternit. Conf. *Paulum Voetium in Theologia naturali reformata cap. 2. p. m. 9. & seqq. Petrum van Mastricht S. S. Theol. D. & Profess. Duisburgensem in novitatum Cartesianarum gangrena, sive Theologia Cartesiana cap. 2. p. 13. usque ad 33.*

(b) Sic audacter scribit Cartesius in citata epistola, putans se omnino facere rem piam & honestam, si dubitatione hac uteretur, ad intellectum magis illustrandum, aut etiam ad naturam Dei magis cognoscendam, aut aliis clarius ostendendam; quia nemo potest vellem finem, quin velit simul media. Conf. *Tom. I. cap. 34. p. 69.* Verum & id noverit Cartesius medium fini debere esse proportionatum, quod hic deficere videmus, quia ea de re dubitat, in qua dubitationis locus esse non debet. Præterea intentione sua medium illicitum nunquam reddet licitum.

J. III.

## §. III.

Deus est ex lumine naturæ maxime, cognoscibilis, ceu ex ipso cognitionis objecto & potentia nostra cognoscitiva colligitur. (a)

(a) Unumquodque cognoscitur quatenus est in actu; sed Deus est purus actus absque omni prorsus permixtione potentia; Deus ergo quantum ad ipsum spectat, est maxime cognoscibilis. Homini vero inest naturale desiderium causæ cognoscendæ, cum effectum in-tuetur. Si igitur rationalis creaturæ intellectus ad primam causam attingere non posset, profecto inane homini desiderium a Deo tributam fuisset, cum tamen Deus & natura nihil frustra faci-ant. Nec obstat, quod cognoscentis ad cogni-tum aliqua proportio esse debeat, cum hoc illius sit perfectio; hic vero intellectus creati tanquam finiti, ad Deum increatum, tanquam infini-tum, nullam dari proportionem. Nam huic occurrunt dicendo, omnino dari proportio-nem, i. e. habitudinem unius ad aliud, effectus nimirum ad causam, potentia ad actum, quo modo intellectus creatus ad Deum cognoscen-dum proportionem habet. Vel ut alii loquun-tur, extendi quidem intellectum humanum ad infinitum, sed finite, neque infinitum compre-hendere, sed attingere.

## §. IV

Cognoscitur Deus ex lumine naturæ per notitiam natura insitam, (a) non quidem in actu secundo, (b) nec in actu primo (c) nec per ideam a Deo inditam, (d) sed in potentia propinqua. (e)

(a) Per notitias natura insitas intelligimus tales notitias, quæ in homine usu rationis pollente, simul ac termini beneficio specierum ab objecto impressarum apprehensi sunt, in actum erumpunt, & ad quarum assensum intellectus se, per se immediate & citra discursum propter innatam quandam perfectionem determinat. Si vero in specie agitur de notitia existentiae divinæ innata, tunc autores perfectioni innatæ adhuc superaddunt instinctum sive inclinationem in Deum, velut in finem suum, quæ intellectui, luce quadam innata pollenti, pondus quasi superaddit, eumque determinat, ut, ubi termini apprehensi sunt, per se immediate in ejus assensum feratur. Dari autem talem notitiam Dei insitam probari potest. I. Ex conscientiae testimonio de recte factis, & cogitationibus ob male facta se invicem accusantibus, quæ aliunde provenire non possunt, quam ex natura insito numinis sensu benefacta remunerantis, scelera vero vindicantis. II. Ex consensu veterum gentium & christianorum. Inter illos

Jos eminet Epicurus de cujus anticipatione Deorum supra in secta Epicuræ dictum fuit. Ex his illi præcipue evolvendi sunt, qui contra gentes scripserunt, utpote Justinus Martyr, Origenes, Arnobius, Minutius Felix, Lactantius &c.

(b) Quia notitia in actu secundo semper importat aliquem actum cognoscendi ab intellectu elicitem, atque ab eo efficienter, i. e. ab homine ut causa efficiente in actu secundo posito, ipsiusque intellectu ut actu primo seu potentia causativa completa in genere potentia activæ productum, qui hoc ipso, quod ab intellectu producitur, natura nobis insitus seu innatus non est.

(c) Quia notitia in actu primo sua intrinseca natura species rerum impressas seu intelligibiles in se continet. Experientia enim testatur absque speciebus impressis hominis intellectum nullum cognoscendi actum elicere, sed per species impressas, tanquam principium eliciendi actus cognoscendi partiale, seu ut alii loquuntur, antecedenter requisita, ad eum eliciendum determinari. Si jam notitiæ insitæ in actu primo intellectui natura insitæ essent, tunc necessario sequeretur etiam species impressas, quibus intellectus ad actum cognitionis eliciendum in actu primo sufficiens constituitur, natura insitas esse, cum tamen extrinsecus transvehantur ad intellectum

ctum ab objectis per sensus & phantasmata, concurrente intellectu agente. Conf. B. *Musæus in Introduct. in Theolog. c. 2 p. 52. & seq. adde der Jenischen Theologorum ausführliche Erklärung / p. 147. seqq. Max. Rever. Dn. D. Velthem. in Instit. Metaph. p. 605.* Præterea res tota tandem redit ad figmentum Platonicorum, qui voluerunt, ab æterno ex divina mente per ideam animæ manasse animas omnes rationis compotes, quæ essent distinctæ illius ideæ participationes certo numero definitæ: porro illas ex divina mente non produisse imperfectas, sed omni scientia exornatas, rationibus quoque illis ab ipsa divina mente ideis illius respondentibus insertis; ita ut in hac vita nulla a nobis scientia comparetur, sed cum discimus solummodo eorum quæ ante novimus, reminiscamur, & phantasmatibus sensuum beneficio formatis excitemus scientiam in animo latentem, & materiæ caligine oppressam. Sed præter hæc, quod multis falsis hypothefibus hæc sententia nitatur, utpote animam ante corpus creari, detrimentum capere ex conjunctione cum materia & aliis, experientia contraria est, cum cognoscendo non percipiamus, nos aliquando similem habuisse cognitionem; quod tamen necessum esset, cum reminisci sit rei cognitæ, ut antea cognitæ, recordati. Conf. *Zeidl. in Analyse p. 585. & seqq.*

(d) Car.

(d) Cartesius ejusque affecta volunt, dari quandam Dei in hominibus ideam ipsis con-  
 natam, & ab ipso Deo inditam; eam esse quod-  
 dam ejus representamen & imaginem; esse  
 item quoad esse suum vicarium, Deum ipsum,  
 atque proinde eatenus infinitam. Hanc ex  
 propriae imperfectionis conscientia confici-  
 unt, & ex ista Dei existentiam concludunt,  
 quia talis idea non possit esse citra exemplar  
 præexistens. Agnoscunt autem duplicem  
 Dei ideam in homine, quarum altera cogita-  
 tioni præcurrat, altera cernatur in ipsa cogita-  
 tione. Prior ipsis dicitur imago Dei, qua  
 Deus hominem ornavit; posterior vero, quæ  
 cogitando deinceps ad hanc exprimitur. Con-  
 fer Cartes. in meditatione tercia. Clauberg. in ex-  
 ercitatore de cognitione Dei & sui, & Jo. de  
 Brün de cognitione Dei naturali passim. Ve-  
 rum rem totam pluribus solide excussit sæpe  
 laudatus B. Musæus, qui l.c. p. 60. & seqq. videri  
 potest. Illis adhuc sequentia subjiciemus  
 I. Argumentum ex ideis pro existentia Dei.  
 desumptum plane vitiosum est, quia eadem  
 consequentia omnia possibile, quæ concipi-  
 mus, necessario existerent: e.g. si habeo ideam  
 aurei montis, ille etiam existet, quia idea  
 secundum ipsos necessario requirit exemplar.  
 Si excipias ex idea colligi exemplar vel actua-  
 le vel possibile, & sic quoque ex idea montis  
 aurei vel actu existere montem aureum, vel  
 C  
 existe-

existere saltem posse. Resp. Posita actuali idea, ex hypothese Cartesianorum, non posse non actu existere exemplar: vel si urgeas, sufficere exemplar possibile, tunc concedas quoque ideam de Deo exemplar Dei sufficere, quod vel actu existit vel existere potest. II. Absurditate quoque laborat, dum ideam quoad esse vicarium infinitam volunt: nam hac ratione vere finitum capax erit infiniti; & cum cuiusvis homini sua competat idea propria, quæ etiam proprium suum habet esse representativum, plura ergo secundum hanc hypothesein dabuntur infinita & per consequens plures Dii, vel si mavis nullus. Conf. *Petri van Mastrich l. c. p. 198. seqq.* Adde *Job. Baptistam Morinum in Astrolog. Gallica l. 1. p. 1. usque ad 8. Vbi totam Cartesii demonstrationem excussit. Gerard. de Vires Exercit. 2. §. 6. seqq. p. 12. seqq.*

(e) Quid sit notitiam natura insitam esse, potentia propinqua, peti potest ex not. (a) hujus §. Restrigitur vero per vocem *propinqua*, ut excludatur acquisita conclusionum cognitio, quæ in intellectu quoque est potentia, sed saltem remota: nam in his intellectus, accedentibus speciebus impressis & terminis apprehensis, non statim ad assensum illarum immediate se determinare valet, sed mediantem demum principiorum cognitione ad conclusionum assensum determinatur. Porro adhibetur vox *potentia*, ut excludatur actus  
tam

tam primus quam secundus: per eam tamen non nuda cognoscendi potentia ( quia hæc indifferens est ad notitias infitas & acquisitas principiorum & conclusionum) sed perfectio quædam cognoscendi potentia superaddita & conuata intelligitur.

## §. V.

Cognoscitur etiam Deus acquisita notitia eaque vulgari<sup>(a)</sup>, quæ comparatur ex institutione<sup>(b)</sup>, & consideratione hujus universi minus accurata<sup>(c)</sup>, & hæc notitia una cum infita a Theologo naturali supponitur.<sup>(d)</sup>

(a) Hæc opponitur acquisitæ notitiæ exquisitæ, quam ex solidis demonstrationibus de existentia Dei & attributis habebis, cum illa sine expressa, & longe petita demonstratione etiam in rudiores cadere possit.

(b) Parentum nimirum & præceptorum, nec non ex relatione scriptorum, consuetudine quoque, qua nomen Dei ad omnes ferme actiones adhibere solemus.

(c) Quis enim tam stupidus, qui solis speciem & magnitudinem intuetur, qui lunæ varietatem innumerabilemque astrorum multitudinem ( alia ut nunctaceam ) contempletur, & mentem ad unam primam causam æternamque rerum principium non eleuet, facili & non subtili ratiocinatione. *Conf. Cic. de nat.*

*Deor. l. 2. §. 95.* Profecto verissima sunt verba alicujus Philosophi: *Mundus est schola, ubi discit homo singulis in rebus Creatoris sui nomen legere: Est Magister, a quo in Dei cognitione informamur: liber est doctis pariter ac indoctis concessus a Deo, ut in paginis elementorum, in voluminibus temporum communis & publica divina institutionis doctrina legeretur. Scala Dei, qua ad Deum ascendimus. Musicum instrumentum tot fidibus artificis sui nomen referens, quot res in eo varie conspiciuntur. Echo & vox clarissima divinitatis &c.*

(d) Sic enim requirit natura scientiarum practicarum, ut finis, qui primum cognitum & reliquis præscribit, quid sit nominis & quod sit, præcognitus habeatur.

## §. VI.

Tandem quoque notitiam acquisitam divinæ existentiae exactiorem habemus, quæ nobis ingeneratur ex demonstrationibus a posteriori (a) per varias vias (b) non æque efficaces. (c)

(a) Si proprie loqui velimus, existentia Dei a priori demonstrari non potest: ea enim est natura primi entis, ut non habeat rationem aliquam priorem, sed in ipso idem sunt ipsum Ens & quid est, sive conceptus primus, sicut in simplicibus fieri oportet. Quapropter hic  
deest

deest medium demonstrationis, quia alias, cum quidditas, quæ deberet esse medium, cum subjecto eadem sit, minus extremum & medium in demonstratione forent idem, quod est absurdum. Conf. Zeidl. in *Intrad. in lect. Arist. p. 380. & seqq. & in Analys. 611. & seqq.* Svarezius quidem *Tom. II. disp. Metaphys. Sect. 3. p. m. 28.* fatetur, simpliciter loquendo Deum non posse demonstrari a priori; nihilominus putat postquam a posteriori aliquid de Deo demonstratum est, nos posse ex uno attributo demonstrare a priori aliud, (quod concedimus) & sic (de quo dubitamus) ipsum Deum. Nam demonstrato a posteriori Deum esse ens necessarium & a se, ex hoc attributo posse a priori demonstrari, præter illud non posse esse aliud ens necessarium & a se, & consequenter demonstrari Deum esse. Verum an sic legitime procedat demonstratio a priori proprie sic dicta, quis demonstrationum peritus facile judicabit. Imo ne demonstrationem quidem per causam virtualem (quam ille intendere videtur) hic videre possum, cum Dei existentiam ex jam probata Dei existentia deducere conatur, ceu colligere datur ex sequentibus verbis: *Vnde ad concludendum h. m. esse Deum sub ratione Dei, supponitur esse probatum, dari Ens quoddam per se necessarium, nimirum ex effectibus ejus, & ex negatione processus in infinitum: at que ita quod primum de hoc ente*

probatum, est esse: deinde esse ab intrinseco necessarium, hinc esse unicum, adeoque esse Deum. Cum igitur Deum esse a priori demonstrare non possimus, dispiciendum erit, an non id fieri possit demonstratione a posteriori: Certum hoc esse, sequens docebit ratio: nam Deum esse, est propositio necessaria & sempiternæ veritatis, & proinde etiam scibilis: nam omne verum & necessarium quatenus tale ex se scibile est, si addit potentia idonea & medium sufficiens, quo sane hic non caremus, cum creaturæ non minus sint effectus Dei, quam effectus aliarum causarum, sunt effectus earum. E. intellectus hominis, qui est capax hujusmodi notitiæ, potest a posteriori ex illis effectibus Dei existentiam certo concludere. Quod vero etiam hac ratione investigari debeat, ex eo patet, quia Deus non nisi ut principium hujus universi cognoscitur. Principia vero a priori non possunt demonstrari, sed sensu & inductione per signa & effectus i. e. a posteriori nobis innotescunt. Et sic quidem certi sumus, à posteriori Deum demonstrari posse, quoniam vero medio id fieri debeat, auctores incerti sunt. Quidam physico medio id tantum fieri posse putant, cum nulla scientia suum subjectum demonstrat esse; sed supponat illud per se notum vel demonstratum in alia scientia. Alii ex sola Metaphysica medium petunt, quia alias Physica dignior esset.

Meta-

Metaphysica, & hæc ab illa penderet. Sed pro diversa sententiarum explicatione, dici poterit, omne medium esse naturale, vel saltem concludere in virtute medii naturalis, vel etiam Physico Metaphysicum esse posse. Cum, quod illa inchoat, hæc perficiat. Conf. *Suarez. in l.c. p. 15. Et seqq. Jac. Revius in Suarez. repurg. p. 520. Raynaud. Theol. N. dist. V. quest. 1. art. 1. p. 418. Corn. Mart. in comp. Theol. p. m. 57. seqq.*

(b) Prima est via motus Arist. usitata, cujus demonstratio, prout ex octavo Physic. patet sequentem in modum se habet: cum accidentia sint, etiam substantia est. At quædam accidentia continuo ac semper sunt, E. & substantia quædam semper est. Minor probatur, quia duo accidentia motus & tempus semper sunt naturaliter: Si enim tempus cœpisset, prius & posterius fuisset non existente tempore, quod impossibile. Quod si vero tempus semper est, necessario motus semper est, quia tempus est numerus motus. Patet igitur quod aliqua substantia detur, quæ per motum non cœperit & perpetuo seu continuo motu moveatur, nimirum cælum. Dein hæc duo supponit, quicquid movetur ab alio movetur, & in his quorum unum ab altero movetur, non datur progressus in infinitum. Hinc concludit: Si unum ab altero movetur, & in iis non datur progressus in infinitum, sequitur in iis dari aliquod primum, quod movetur, & non amplius ab alio movetur. Sed omnia continua,

*Theologia Naturalis*

40  
quæ moventur, ita se habent. E, dabitur aliquis primus motor. Hic æternus & unus est, quia motus æternus & continuus sive unus est, secundum antedicta. Hanc Arist. viam nonnulli nimium quantum extollunt, præter illam nullam aliam sufficientem esse putantes: sic enim Averroës 12. Metaph. Com. 5. *Impossibile est, inquit, declinare aliquid abstractum esse a materia nisi ex motu, & omnes viæ, quæ putantur ducere ad primum motorem, præter viam motus sunt insufficientes.* Dn. D. Drejerus in disp. 16. *Philosophia prima* omnes alios Deum probandi modos dicit esse dialecticos, illum vero ex motu desumptum esse *ἀποδεικτικόν* conf. Dn. D. Zeidl. in *Introd. in lect. Arist.* p. 330. Henning. *Arnsæus Epit. Metaph.* p. 301. & *Scipio Claramontius Philosophia naturalis l. XI. to. 10.* Alii medium plane inefficax esse dicunt, cum duobus nitatur fundamentis maxime infirmis: Nimirum omne quod movetur ab alio movetur, & in moventibus non datur infinitum progressus: Et prius quidem instantiam pati, in plerisque etiam corporeis, vel si maxime tanquam demonstratum ponatur, æque posset exinde colligi, corpus aliquod immobile, quam substantiam immaterialem immobilem: & per posterius secundum eosdem evitari posse primum motorem vim movendi a se habentem, si recurratur ad successionem causarum infinitarum, per accidens subordinata-

nata-

natarum. Dein quædam falsa sibi probanda, sumisisse volunt, nimirum tempus fuisse ab æterno, motum fuisse ab æterno &c. Et tandem cælum moveri statuit; quod nec omnibus antiquis nec recentioribus pro certo & concessio habetur. Conf. *Theoph. Raynaudus in Theol. naturalip. 433. Suarez. l. c. p. 16. seq. Corn. Martini in Compendio. Theol. p. 62. seq.*

Secunda est *via dependentia*. In hoc, loco principii Aristotelici *omne quod movetur, ab alia movetur*, substituunt aliud, *omne quod fit, ab alio fit*, sive per creationem, sive per generationem, sive alium quemcunque modum; Et hoc semper verum esse, qui contradictionem implicat, aliquid seipsum facere: priusquam enim esset, jam ante esset, quod absurdum. Hoc assumpto, sic procedit demonstratio. Omne ens aut est factum, aut non est factum; atqui nequeunt omnia entia, quæ sunt in rerum natura, esse facta: E. necessarium est dari aliquod ens, quod non sit factum. Major est evidens ex natura contradictionis, cujus altera pars vera est, altera falsa. Minor probatur ex assumpto principio: Omne ens, quod factum est, ab alio est factum: aliud igitur illud, a quo est factum, vel ipsum quoque est factum vel non est, factum. Si posterius, datur ergo aliquod ens increatum, quod volumus: Sin prius, oportebit ab alio esse factum, de quo ulterius idem inquirendum erit, & ita

tandem aut sistendum erit in ente non facto, aut procedendum in infinitum, aut committendus circulus. Duo vero posteriora in absurdis habentur, E. subsistendum erit necessario in ente non facto seu increato. Nam circulum committere est, si quis dicat rem ita producere aliam, ut vicissim ab eadem producat, sive mediate sive immediate. Hoc vero est impossibile & repugnat principio superius posito. Nam si res una sit ab alia a se facta, mediate saltem & quasi in virtute se ipsam efficit. Quod processum attinet in infinitum, is in causis efficientibus fieri potest vel ascendendo a causis inferioribus ad superiores, vel descendendo ab universalibus ad proximas causas. De posteriori modo non est dubium, sistendum aliquando esse in causa ultima, quæ effectui sit proxima; Si enim nunquam perveniretur ad causam effectui proximam, nunquam etiam perveniretur ad effectum. Prior ergo adhuc in controversiam venit, quia ex illa parte causam quarimus, in qua sistere possimus. Sunt vero in hoc ordine causæ sibi invicem subordinatæ aut per accidens aut per se: per accidens quando inferior causa agere potest cessante, imo sæpe absente, interdum etiam non existente superiore: non enim simul concurrunt ad effectum. Per se subordinatæ sunt, quæ simul & una quæque in suo ordine immediate influunt

fluunt in effectum, ubi inferiores agere vel absentibus vel non existentibus superioribus est impossibile. Cessante enim actione superioris, cessat quoque actio inferioris, quia ab illa dependet. Quocumque jam modo sumatur ille processus in infinitum, omnis tollitur causalitas, quando enim causa efficiens efficit, omnino agit: atqui negata prima causa, nunquam ad actionem deveniri potest: inferiores enim a superioribus dependent. Jam si propter infinitum, quod pertransiri non potest, non descenderet vis movens a superiori causa ad inferiorem, inferior causa non posset neque inchoare, neque exercere actionem. Si enim quo longius a primo principio abit vis movens, eo fit imbecillior, cum in infinitum abeat, in infinitum quoque imbecillior evadet, donec tandem nulla sit. Quapropter necessario dabitur aliqua causa prima sive independens. Autores hanc viam varie urgent, cu videre licet in autoribus ad priorem viam citatis, quibus adde *Thomam summa Theologiae part. 1. quest. 2. art. 3. p. m. 13.* Et *Cajetanum in eundem. Scheurlinum in Theol. Nat. p. 32.* & *seqq. Paulum Voërium in Theol. Nat. ref. p. 32.* & *seqq. Jo. Bapt. Morin. in Astrol. Gall. l. 1. p. 8.* methodo mathematica eandem viam urgere videtur. Dn. D. Drejor *loc. cit. p. 283.* processum hunc probare non vult, sequentem in modum scribens: plus concludi existimo quam pra-

robustet  
et vel gmo  
qm homo  
mō moveri  
is f. angli  
e non gravit

suprema  
substantia  
dum  
hanc  
volatū  
correl tu

præmissa inferunt: dixerim enim ergo: concedo quod detur independens, quod detur prima causa, sed ajo etiam esse corpus cœleste, non Deum. Quare si ostendendum sit, quod cœlum non sit Deus, omnino motus in subsidium advocandus est, & dicendum: cœlum movetur, quicquid autem movetur dependet a primo motore, & cum non possit procedi in infinitum, perveniendum tandem ad primum motorem immobilem. Quod tamen aliis judicandum relinquimus.

Tertia est *via contingentia ac necessitatis*, & sic procedit. Invenimus enim in rebus quædam, quæ sunt possibile esse & non esse: cum quædam generentur & corrumpantur, & per consequens possibile sint esse & non esse. Impossibile autem est, omnia quæ sunt talia semper esse, quia quod possibile est non esse, quandoque non est. Si igitur omnia sunt possibile non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset; quia quod non est, non incipit esse, nisi per aliquid quod est. Si ergo nihil fuit ens, impossibile fuit, quod aliquid inciperet esse; & sic modo nihil esset, quod patet esse falsum. E non omnia entia sunt possibile, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus: Omne autem necessarium vel habet causam suam necessitatis aliunde vel non habet; non est autem possibile, quod procedatur in infinitum in necessa-

cessariis, quæ habent causam suæ necessitatis : ergo necesse est ponere aliquod, quod sit per se necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis. Et hoc est Deus. vid. Thomas l.c.

Quarta via ex gradibus & perfectionibus rerum desumpta est ; quia cum in rebus invenitur majus & minus, mobile & ignobile, bonum. Sed majus & minus dicuntur de diversis, quæ appropinquant diversimode ad aliquod, quod maxime. Est igitur aliquid, quod est verissimum & optimum nobilissimum & per consequens maxime ens. Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere est causa omnium, quæ sunt illius generis. E. est aliquid, quod omnibus entibus est causa essentia & bonitatis, & cujuslibet perfectionis. Et hoc est Deus. Huc referri quoque potest via potentia & actus, quia cum nihil sit in potentia, quin aliquid, quod actu est, antecedit, per quod in actum deduci possit ; id vero quod ipsam potentia est, alterum ad actum deducere non potest, quapropter requiritur, ut antecedit actus purus, qui non agnoscat aliquid prius, a quo e potentia deducatur in actum. Præter Deum vero non datur actus purus, E. hac via ad Deum deveniendum erit. Hanc viam forsan Platonicæ intenderunt, dum sicut in sensibilibus quædam prima admittuntur, sic etiam in intelligibilibus aliquod primum esse  
ponen-

ponendum, quod reliquis omnibus antistat idque summum Numen dicendum esse.

Quinta *via* desumitur *ex rerum gubernatione*, vel, ut alii loquuntur *sine & effectu*. Nam singula hujus universi, tam animata quam inanimata, ita in fines particulares tendunt & diriguntur, ut tamen lege immota cuncta in universi finem conspirent; Cum vero inanimata nullam alicujus finis cognitionem habeant, necesse est, ut ab aliquo cognoscente & intelligente superiori ad finem dirigantur, præcipue cum motibus contrariis ferantur, qui uniri non possent, nisi aliquo potentioris entis vinculo in ordinem redigerentur. Illud vero ens potentius est ipse Deus. Vid. Thom. l.c.

Sexta *via* deducitur *ab eo, quod est in homine*, nim. in homine est I. naturalis religionis instinctus, ut etiam Ægyptii herbas maluerint venerari, quam absque omni cultu esse. Hic vero instinctus hoc ipso, quod a natura est, vanus esse nequit, E. erit aliquod ens, quod hujus religionis objectum sit. II. Insatiabilis boni cupiditas, hæc homini frustra data non est, sed ad certum aliquod objectum referri debet. Cum vero in bono finito nullam quietem nullamque satietatem habeat, inveniet eam in bono infinito, quod erit Deus. III. Innatum sciendi desiderium, cui res finitæ terminos ponere nequeunt, sed semper plura & plura nosse cupit, tendendo in infinitum.

E. da.

in quo  
flecti  
runt  
Joh  
70  
J  
ad  
80  
R

E. dabitur Ens aliquod infinitum, quod appetitum nostrum sciendi sistere possit, quia nulla datur potentia, quæ suo objecto careat. IV. Internum conscientiz testimonium, de quo supra.

Septima via depromitur ex ordine, constitutione & pulchritudine hujus universi: Quamvis enim levi quodam indicio res ipsa autorem & causam demonstrant, tamen comparatione effectorum omnium facile, uter fuerit præstantior, dijudicare possumus. Qui enim domum numeris omnibus absolutam condidit, certe major dijudicari debet, quam qui mapalia erexit, vel cavernas effodit. Quo igitur major & constantior ordo in rebus videtur, eo peritior artifex censendus est; atqui mundo ornatus nihil reperire licet. Habet ergo mundus prudentissimam sapientissimamque causam Deum. Assumptum in minori hujus ratiocinii i. e. pulcherrimum in mundo ordinem, ex quo suavissima sequitur harmonia, docent Mathematici. Constans vero ordo colligitur ex eo, quod machina hæc ex diversis coaluerit naturis se mutuo alias tollentibus & ad hunc tamen diem semper illæsa steterit. Poterit quoque ad hanc viam modus ille referri, quem Gvil. Postellus L. i. de orbis concordia p. 9. & seqq. ex Theologia Ægyptiorum & Pythagoræ urget: Nimirum quatuor elementa & cælura respondere 5. corporibus regu-

scilicet igne, ære, aqua, terra & æther

7. e. quia cœlestia & elementa

in quibus oculos regulæ hinc se ordinata, quæ infinitè lati occupat terra secundum aqua, tertium ier. quæntum ignis, quæntum cœlum. Alij vi. no. mundi & cœlor, primo luna, secundo Mercurij, tertium Venere, quarto Jovis, quinto Martis, sexta Jovis, septima Saturni, octava stelle fixe fixæ s. ornamentum, quibus si addatur cœli empyreum s. sedes beatorum s. novem, cœli. Alii supra firmamentum addunt habitum cœli, quæntum primo habitus et sic s. decem cœli. Alii s. contra præstantiam, s. = planetæ s. p. Belloræ fixarum, empyreum.







dum esse ex nihilo factum, Solem in medio cursu stetitisse, tempore Ezechiae umbram fuisse retrogradam, quæ & alia hujus generis arguunt Numen esse aliquod supremum supra universam naturam, quæ illam regat, invertat, immutet, quod agentia naturalia nullo modo præstare possunt.

Undecima via a perpetuo omnium gentium consensu. Verissima enim sunt, quæ Philippus Morneus de veritate religionis Christianæ c. 1. p. 10. habet: Ex librorum mundanorum lætione omnes omnino gentes Deum didicerunt, eisdem diverse diversa de eo conceperunt: percurrere enim orbem ab ortu ad occasum, a Septentrionalibus ad Austrum, perlustrante quotquot antecesserant secula, quotquot vixerunt regna, ipsa demum scrutare barbarorum, sive lustra sive mapalia, ubicunque homines inveneris, ipsi continuo religionem & Numinis cultum, ibi Sacrorum ritus, preces denique & sacrificia reperies. Diversa quidem hæc & confusa, ac in eo saltem congruentia, quod Deus est.

(c) Omnes has vias non æque efficaces esse dixi, cum quædam ex illis moralem saltim ingenerent certitudinem. Et licet hæc alias imo hoc ipso in casu sufficient ad convincendum hominem attentum, & salutis suæ non obstinate prodigum, h. e. cum ratione non insanientem; tamen quædam pluribus, quædam paucioribus atheorum objectionibus extali quæ intellectum ingenuum, nullo introfuso habitu imbutum possit firmare ut præsentat ipse ad omnem dubitationem. Unde *Byz. inf.* præns in corde suo non est Deo q. 14.

observa, quamvis dari  
Deum demonstari non  
possit demonstrare  
mathematicè sicut v. g.  
demonstrat quod tria  
sunt sex demonstrari  
non potest demonstrare  
mortalis et physici. h. e.  
falsi quæ intellectum ingenuum, nullo introfuso habitu imbutum possit firmare ut præsentat ipse ad omnem dubitationem. Unde *Byz. inf.* præns in corde suo non est Deo q. 14.

posita sunt, quaedam magis, quaedam minus urgent. Quidam Theologorum & Philosophorum primam eligunt viam, & iterum alii Theologorum & Philosophorum secundam calcant viam: nec illi aberrabunt, qui ea incedunt via, qua specialis naturae totius & hujus universi vel etiam hominis consideratio instituitur.

§. VII.

Attributa quoque Dei per easdem vias a nonnullis demonstrantur a posteriori, ab aliis vero per viam causalitatis (a), eminentiae (b), & negationis (c), tanquam summa rerum capita.

*f. perfectionis dicitur quae sunt in certis dicitur. Probantur ab effectu. Deo tanquam causa productiva. per quae in se continet. per perfectionem creaturam. sive remotionem a deo ad imperfectas creaturas.*

(a) Per hanc non tantum existentia Dei demonstratur, prout jam vidimus, nos naturali quadam inclinatione ex considerato effectu in causa inquisitionem rari, sed etiam attributa relativa, ut Creator, Conservator & Governator rerum omnium.

*f. proprietatis et relationis quae in ipso conceptu includuntur ad creatas.*

(b) Observamus enim creaturas hujus universi habere quidem suas perfectiones, sed multis imperfectionibus immixtas, quapropter necessum erit, dari aliquod bonum optimum, in quo, tanquam in causa, omnes perfectiones effectuum sint eminentiori modo. Et per hanc viam non cognoscitur Deus, ut causa simpliciter, sed ut causa equivoca, quae perfe-

*f. quae producit effectus diversi ordinis et naturae. causa a. universalis est, quae producit effectum quidem ordinis et naturae.*

effectus diversi ordinis et naturae. causa a. universalis est, quae producit effectum quidem ordinis et naturae.



Quare, quod sit perfectionem effecty continere formaliter & eminenter. *De*  
 causa dicitur perfectionem effecty continere formaliter, quando perfectionem  
 effecty, quum productum in se esse debere, realiter et formaliter habet sic ipse  
 continet formaliter eandem. *Theologia Naturalis.* Causa dicitur per  
 perfectionem effecty continere  
 eminenter, omnia actiones effectuum suorum non formaliter sed  
 electiva, quando pot. eminenter continet. Demonstratur quoque  
 effecty vere et realiter  
 in causa quod non e. per eandem attributa Dei absoluta & positiva, ut  
 d. in causa e. prostantibus sunt bonus, justus, sapiens, potens, intelligens,  
 ris ab excellentioris nam volens, libere agens, producere. *Sic deo continet emmin*  
 ther est electiva per omni  
 creaturam et per metallu (c) Per hanc a Deo removemus omnes  
 quod generalioribus, imperfectiones, imo etiam perfectiones crea-  
 turarum, quas natura ad supplendam a-  
 per a tributa absolutam  
 hic intelligunt, illi per  
 non si non naturalia s. sup-  
 ponalia, d. toti trinitati, que unum ex alio colligendi: vel si que  
 communia. Nam et tributa  
 naturalia s. trinitati  
 activa in patre generi erint, ad solum Deum, sed addita negatio-  
 rati passiva in filio s. ne, restringuntur, ut si dicamus Deum esse  
 rati activa in patre et substantiam (in quo ipsi convenit cum aliis)  
 filio, passiva in filio, sed infinitam, immutabilem, illimitatam  
 trinitati communia s. b. & c. & sic deducuntur negativa Dei attribu-  
 tibus, s. p. rati, passiva  
 potentia etc. *Philos. ta.* Hanc negativam Dei & attributorum co-  
 gnitionem praeferunt affirmativae, quia cum de  
 perfectionem via s. p. s.  
 maliter in homine et  
 angelo d. non formaliter in  
 Deo dicimus et in Deo emine-  
 ter univocam formaliter  
 q. a. s. in Deo excellentior  
 modo.

Per a tributa absolutam  
 hic intelligunt, illi per  
 non si non naturalia s. sup-  
 ponalia, d. toti trinitati, que unum ex alio colligendi: vel si que  
 communia. Nam et tributa  
 naturalia s. trinitati  
 activa in patre generi erint, ad solum Deum, sed addita negatio-  
 rati passiva in filio s. ne, restringuntur, ut si dicamus Deum esse  
 rati activa in patre et substantiam (in quo ipsi convenit cum aliis)  
 filio, passiva in filio, sed infinitam, immutabilem, illimitatam  
 trinitati communia s. b. & c. & sic deducuntur negativa Dei attribu-  
 tibus, s. p. rati, passiva  
 potentia etc. *Philos. ta.* Hanc negativam Dei & attributorum co-  
 gnitionem praeferunt affirmativae, quia cum de  
 perfectionem via s. p. s.  
 maliter in homine et  
 angelo d. non formaliter in  
 Deo dicimus et in Deo emine-  
 ter univocam formaliter  
 q. a. s. in Deo excellentior  
 modo.

A. an deo possit unum esse. *De*  
 quod dicitur s. d. dicitur  
 sicut nos. A. respondendo nam  
 potest quidem deo habere  
 unum similem actum hoc  
 sicut ipse q. q. peccato s.  
 quibus damnatio est in eo  
 quod dicitur, q. q. dicitur  
 sicut nos. non ita potest  
 dicitur deo sicut nos dicitur v. g. quando homo mori in peccato damnatio  
 sicut in deo mori in peccato s. dicitur damnatio. Ratio e. q. talis gemitio consistit  
 in iudicio, in quo intellectus se fundat in alio iudicio respectu tantummodo motuum et  
 illum ante intellectum iudicium dicitur intellectus experimentatim se fert ei  
 motus illi cognati et dependentia relationis ab hoc iudicio illum ante le. ex  
 p. m. per lo. s. g. s. Jam e. deo non potest cognoscere eum tali cognatu et de  
 p. d. v. g. q. q. actus ab alio actu illum ante s. h. n. impossibilis imperfectione s. d. p.  
 sed, quidem deo cognoscere unum in alio v. g. creatio in sua et potentia non  
 si potest cognoscere unum ex alio per dicitur s. g. s. p. cognitione unum



notiis deduci in cognitionem aliorum minus notis, quia deo non est unum notis aliorum ignotis  
neg in deo sit plures cognitiones neg, und cognitio dei dependet ab aliis neg, und est clarior  
altera.

Positiva.

53

ignorantiam veteres appellarunt. Conf. Raynaldus  
dus p. 546. seqq.

### §. VIII.

Miramur igitur atheos (a) qui nostris  
temporibus magno numero sub certis  
characteribus se produnt (b), & vel spon-  
te, vel ab aliis seducti summi Numinis  
existentiam negare conantur (c), cum ta-  
men vel una ex superius adductis viis ad  
illos convincendos sufficiens sit (d).

*demonstratio physica alicui*

(a) Olim illis, qui multitudinem Deo-  
rum aperte negabant, & vel Christianismo vel  
Judaismo nomina dederunt, a Gentilibus  
vox athei tribuebatur. Sed seposita hac, a  
aliisque abusivis significationibus, nobis impræ-  
sentiarum is est atheus, qui cognitionem & cul-  
tum Dei directe aut indirecte sibi aut aliis ex  
animo evellere conatur. Est autem directus  
Atheismus, cum quis omnem cognitionem  
sensumque Numinis in corde suo, quantum  
in ipso est, in totum delere conatur, idque in-  
terdum & sibi & aliis persuadere vult. Indi-  
rectus est, cum quis Dei cognitionem per ne-  
cessariam consequentiam tollit. Hic est vel  
Theoreticus vel Practicus; Practicus est,  
quando quis vita & moribus omnem pietatis  
curam & exercitia externa negligit, ut Epicu-  
rei, neutrales &c. Theoreticus est, cum quis

D 3

ex



ex certa hypothesi per necessariam consequentiam, Deum negat. Et hoc fit (1) per consequentiam immediatam, ut e.g. si quis cum Epicureis negaret omnem Dei providentiam, is immediata consequentia Deum negat; vel si quis omnia aut pleraque attributa Dei negaret, is consequenter quoque Deum tollit. (2)

Quando consequentia quidem est certa, sed non tam proxima & evidens. Posset uterque iterum varie dividi ex causis, ex subjecto, ex adjunctis, & ex quantitate; item in crassum, subtilem seu palliatum & subtilissimum seu interpretativum; sed jam allatae divisiones nobis sufficere possunt. Dari vero atheos quotidiana docet experientia. Et practicos quidem, qui omnem Dei cultum negligunt, quam plurimos dari, nemo hodie negabit. Certum est & illud, esse multos indirecte speculative, qui talia Deo tribuunt, aut de eo negant, ut per necessariam consequentiam Deum tollant. Imo videbis eo impietatis quosdam progredi, ut non tantum Deum negent, sed & impugnent, quicquid de Deo scitur & creditur, atque sic & se & alios ab omni sensu & metu Numinis liberare conantur. Exempli horum vide apud Gisbertum Voetium disp. select. 4. part. 1. p. 212. & seqq. & Dn. Spizelium in Scrutinio atheorum, ubi partem alteram tractationis in nationum scrutinio insumsit. An vero etiam athei speculative tales dentur, aut

v. g. si quis negat Deum in se esse  
id est omnes actiones & pa-  
rum, seu negavit Deum  
omnino et adula.

P. e. in quanta quis negat  
perfectiones Dei.

Qui ita legerit et loquere  
ut intelligatur possi-  
mulum et aliterum. Sic  
q. non pulch. interpretare,  
Falsive non vult a doct.  
Intra illud in Feb. 1. v. 16  
condemnat se nosse Deum  
factis a. Negant.

v. g. dicendo Deum non esse  
iuste providum etc.



Sceptici qui negant ullam dari severam pro refutandi si: si non dari  
severam si non scis, si non scis tibi non est credendum, si scis ipse est datus  
sententia.

56

Theologia Naturalis

Omnem metum hominibus excutere laborant,  
& contra eos ad altam securitatem deducunt.  
(7) publice religionem aliquam simulant, pri-  
vatim & apud similes omne virus effundunt.  
(8) ægre ferunt, quando publice contra athe-  
os vel scribitur, vel disputatur sive in thesi sive  
in hypothesi.

(c) Causæ Atheismi dividuntur in im-  
pulsivas internas & externas. Internæ natales  
debent vel intellectui vel voluntati vel actioni-  
bus exinde fluentibus: Et quidem intellectui

(1) quando quis cum antiquis & modernis Scep-  
ticis omnem scientiæ certitudinem explodit,  
partim ex invidia scientiæ alienæ, partim de-

spiratione propriæ. (2) quando quis nimio sci-  
entiæ ardore in abdita quæque fertur & ab  
illis abripitur. (3) quando quis habitui prin-

cipiorum vim facit, & communia scientiarum  
principia negat. Ex parte voluntatis vero

causæ sunt (1) impatientia alicujus defectus  
in scientia. (2) animi elatio. (3) indignus om-  
nium sapientum præ se contemptus. Ex

parte actionum causæ esse possunt. (1) præpo-  
stera methodus. (2) securitas in vita. (3) cre-  
bra sectæ mutatio. Externarum causarum

numero venire possunt variæ occasiones utpo-  
te (1) libri indocti, qui rerum sublimium ex-  
plicationem vel defensionem præ se ferunt. (2)

Impugnations atheorum, sed minus solidæ.  
(3) temere jactata supernaturalia (4) Dum  
masculi in masculos turpitudinem operantes vident

q  
mi  
q  
fo  
in  
to  
f  
x  
u  
ii  
x  
sive usus veneris aliter  
ac male ordinabilis de  
quo si non possit haberi: non  
conturbaverunt veritatem  
dei in mandatis  
formæ pro omnia  
verum ad alium usum in  
eis qui est gratiam  
similes masculi in  
noto masculi usum  
munda se arserunt  
in defensione suis

15  
20  
40



vident viris bonis male esse, malis vero bene. Inter causas adjuvantes referimus (1) nefarios præceptores (2) libros qui partim aperte, partim subtiliter Atheismum fovent. (3) noxia colloquia & disputationes. (4) sententiæ immortalitatem animæ & novissima negantes. (5) prætensa libertas philosophandi. (6) sectæ veteres & recentiores atheismo obstetricantes.

(d) Veterum atheorum atque Epicurcorum objectiones habentur apud *Plutarchum de plac. phil. c. 7. Sextum Empir. l. 3. c. 1. Plinium l. 2. c. 7. quas reperit ac solvit Valesius in Phil. Sacra c. 58. Marius Merfennus in comm. in Genesin. p. 434. collegit in unum 26. rationes insanas, quibus hodie athei utuntur, easque diluit. In convincendis atheis autores requirunt aliquam præparationem & ejusdem applicationem, quam absolvunt detestatione, convictione & coercitione. Conf. Voetium *diss. select. p. 210. & seqq.* nota illud ordinem cuncta præparenda sed immediate valens esse recommendandi est. hæc pars sincera tractat.*

§. IX.

Firmata jam Dei existentia, ejusdem essentiam (a) sequentem in modum describimus (b). Deus est ens (c) spirituale (d), & a se subsistens (e): sive est spiritus independens.

(a) Essentiam hic intelligimus, quatenus per se tantis attributis nostro concipiendi modo opponi intelligimus. *Primum dei prædicatum quod D. & deus dicitur, ab omni d. deo non est. Per attributa intelligimus prædicata dei facienda, quæ 2o primo prædicato quoad nostrum modum concipiendi influunt.*

tur, & ad quem tria requiruntur I. ut sit primus  
rei conceptus, & quidem ita, ut non possit ratio

*x* *in hoc qd dicitur*  
*causa non habent*  
*causa est*  
*causa cre*  
*id e.g. causa hominis et angeli habent quidem causa qd dicitur non*  
*causa in deo attributorum. Logice et objective causa est p. ab eis*  
*in sensu conditionato sine*  
*vel in generali*  
*incompleta*

dari a priori, cur hic conceptus ei competat. II.  
ut rei sit adæquatus, eamque ab omnibus aliis re-  
bus distinguat. III. ut sit causa & radix omnium  
causarum. Quo ipso agnoscimus, cognitionem no-  
stram de Deo esse valde imperfectam, præcipue  
ratione modi cognoscendi; sive ut alii effe-  
runt, non esse intuitivam, nec comprehensi-  
viam, sed saltem abstractivam, i. e. licet con-  
ceptus noster directe & immediate repræsentet  
aliquam perfectionem Deo soli & nulli alteri  
convenientem, non tamen eam concipit distin-  
cte & secundum propriam ejus repræsentatio-  
nem. *i. per species proprias.*

(c) Cum hic supponatur & supra quoque  
demonstratum fuerit, Deum existere, necessa-  
rio sequitur eum esse ens sine ulla ulteriori  
probatione. Convenit Deus cum omnibus  
creaturis in hoc communissimo prædicato.

*x* *est*  
*ens, venit*  
*deo univari-*  
*causa ferunt*  
*vari-*  
*membris*  
*in quibus*  
*ad idem*

Est enim ens ad Deum & creaturas commu-  
ne ab uno ad unum, quod quidem his in-  
ferioribus unum & communem conceptum  
largitur, at non æqualiter & æque primo, sed  
cum dependentia unius ab alio, quia ens crea-  
tum dependenter est ens, & habitudinem habet  
ad Deum.

(d) Id est substantia immaterialis comple-  
ta. Incompleta enim esse non potest, quia  
alias

alias importaret ordinem ad materiam, & sic ex ea atque spirituali substantia compositus esset, quod de Deo dici nequit; cum in omni compositione pars antecedit id, cujus est pars, i. e. habeat rationem causæ respectu ejus: at vero constat ex superius demonstratis, omnem a Deo abesse causam, cum ipse sit prima causa. Præterea cum Deus sit optima causa omnes quoque rerum creaturarum perfectiones in se continebit vel formaliter vel eminenter; at vero spiritum esse datur in creaturis & est perfectio simpliciter talis nullam importans imperfectionem, E. formaliter & multo perfectius erit in ipso Deo tanquam fonte hujus perfectionis.

(e) *Tò a se* est conceptus proprius, quo Deus ab omnibus aliis distinguitur, utpote quæ sunt ab illo. Vox vero a se hic non sumitur positive sed negative; cum Deus seipsum non causet, sed potius sit per essentialem actualitatem, quæ omnem causalitatem excludit. Ne vero quis putet, attributa Dei constituere primum conceptum, additur *tò a se* subsistens, quod conceptum communem ita restringit, ut nostro concipiendi modo omnia attributa excludat. Confer *B. Slevogrius Dissert. 14. de primo conceptu Dei.*

## §. X.

Ex hoc primo conceptu nostro concipiendi modo fluunt attributa Dei (a), quæ-

quæ neque ab essentia, neque inter se  
realiter (b) differunt, sed tantum ratione  
ratiocinata (c).

(a) Respicimus hic generalem attributi  
acceptiorem, quæ denotat omne id, quod suo  
subjecto convenit, per modum cujuscunque af-  
fectionis aut passionis, sive realiter distinctum sit  
a subjecto, sive non. Convenire vero Deo  
alia attributa, exinde evidens est, quia intelle-  
ctus noster simplicissimam Dei essentiam conce-  
ptu uno adæquato concipere nequit, ideo distin-  
ctis & inadæquatis conceptibus essentiam Dei  
inadæquate representantibus eam apprehendit  
cum ordine quodam, ita ut cur Deo insint, ratio a  
priori assignari non possit. Et hos vocamus attri-  
buta Dei.

(b) Attributa non sunt accidentia quæ-  
dam, ab ipso Deo diversa & ipsi superaddita :  
nam accidentia talia physica pugnans cum Dei  
unitate, simplicitate, actualitate, perfectione,  
immutabilitate, independentia, necessitate &  
prioritate. <sup>quodas Deo dependent a partibus</sup> Notanter vero removi tantum acci-  
dentia physica, cum nihil vetet attributa  
Dei appellare accidentia metaphysica, hæc e-  
nim a parte rei eadem sunt cum eo, cujus acci-  
dens dicuntur : deinde nullam important  
imperfectionem, quia formaliter in eo confi-  
sunt, quod ratione nostra sint extra conce-  
ptum rei, in qua sunt : unum autem esse ex-  
tra

si a Deo realiter  
distincta sunt  
quia Deo est  
non per se non eorum  
quodas Deo dependent a partibus  
sunt pluribus  
diversa physica  
mentis spectant  
hæc  
quod Deo est ad quod  
sunt  
si a Deo distincta  
sunt  
ad modum  
concepit

Q.  
a  
n  
re  
an

tu  
am  
ra  
con  
de  
qu  
el  
va  
el



Q. d. videtur distinctio scotistica: Resp. distinctio scotistica / inventa  
 a Scotto quia in vocat distinctio diminuta h. formelis media: formelis  
 nra rei est distinctio qua nec est stricte realis ea quod non fit in  
 rebus distincta neq. positiva. in polytonis eo q. quod debet  
 esse actum intellectus. dicitur n. scotus q. distinctio quod p. p. h. v. g.  
 tra conceptum alterius ratione nostra, nullam <sup>ita ut est</sup>  
 importat imperfectionem: denique nullam com- <sup>positioem</sup>  
 positionem faciunt, nisi rationis, quam Deo <sup>codem deo</sup>  
 constat non repugnare. Conf. B. Stevogiun. <sup>nra res d. tra</sup>  
 Diff. 1b. 14. p. m. 300. Similiter non probo quo <sup>posita non p.</sup>  
 rundam Scotistarum opinionem, qui essentiam <sup>formelles mi</sup>  
 & attributa ex natura rei differre dixerunt tan- <sup>scotica non p.</sup>  
 quam conceptus positivos, quorum unus non <sup>scotica non p.</sup>  
 est alter ex natura rei, idque ante omnem opera- <sup>scotica non p.</sup>  
 tionem intellectus: <sup>h. nimirum cogitante</sup> quia hac ratione iterum  
 summa Dei simplicitas in periculo est, cum plu-  
 res ex natura rei, h. e. citra omnem operationem  
 intellectus distinctæ operationes, in Deo compo-  
 sitionem ex natura rei involvant.

(c) Id est: idem adest conceptus ob-  
 jectivus, seu representata, nimirum essentia  
 divina sed diversi conceptus formales, <sup>factus intellectus</sup> ob di-  
 versa connotata rem diversimode represen- <sup>ob di-</sup>  
 tantes E. g. vel cum actu puniendi, vel cum <sup>a. quod intelli</sup>  
 actu miserendi, &c. Imo & inter ea dari <sup>gati connota</sup>  
 potest rationis distinctio, quorum alterum cum <sup>unt d. ser</sup>  
 connotato, alterum absolute & sine connotato <sup>comnotatum</sup>  
 rem significat, ut inter essentiam Dei & attribu- <sup>intellectus</sup>  
 ta Dei. Ex his hoc s. dictis facile colligi po- <sup>obdi-</sup>  
 terit, attributa, hoc ipso dum talia sunt, pra- <sup>quod in actu</sup>  
 dicari posse, & quidem de essentia praedican- <sup>re d. obdi-</sup>  
 tur in concreto: ut Deus est justus. Nam se- <sup>ctus apper</sup>  
 cundum Thomam part. 1. quest. 3. art. 3. de rebus <sup>dem rem di-</sup>  
 simplicibus loqui non possumus, nisi per mo- <sup>vidimode con</sup>  
 dum <sup>homo cogni</sup>

Fus in ordine sensaciones factus sens in quos dicitur dicitur  
 animal idem homo cum in ordine ad ratiocinationes factus  
 rationis: intellectus quos producit dicitur ratiocinatio. Talia  
 connotata p. causas respectu effectus seu actus et respectu  
 comparata ad causam efficientem a quo procedit  
 dicitur actus comparata ad causa materialis s. obiectum in  
 quo recipit dicitur passio. Talia in gradibus p. ter similes  
 et desimiles. Sic dicitur animal et intelligentis probet  
 et comparatione factus quod p. simile hominis et animalis  
 et intelligentis et sic ratiocinatio quod ad nostrum modum cogitandi dicitur





positiva sunt, quæ nostris perfectionibus accidentalibus respondent, & sunt vita, veracitas, iustitia, potentia & bonitas.

(a) Fundatur hæc divisio in nostro concipiendi modo: nam perfectionem Dei infinitam concipimus, vel per viam causalitatis vel eminentiæ, vel per viam negationis & hinc oriuntur negativa.

(b) Nam & hæc agnoscimus; neque subscribinus Mose Ben Maimon in More Nevochim l. 1. c. 58. qui per positiva negari aliquid de Deo potius putat quam affirmari: Si enim agnoscit in creaturis dari perfectiones specialiter tales, certe non poterit negare, eas revera contineri in Deo, tanquam ente perfectissimo. Pari ratione nec illis assensum præbemus, qui putant positiva nihil aliud denotare, quam Deum esse causam harum rerum, quæ per nomina hæc exprimentur. Nam hæc ratione attributa de Deo per posterius & improprie, de creaturis vero per prius & proprie dicerentur, sicut sanum dicitur de medicina, eo, quod significat hoc tantum, quod sit causa sanitatis in animali, quod per prius dicitur sanum. Sed id de Deo dicere absurdum est.

## §. XII.

Primum attributum est unitas (a) exclusive sumpta seu essentialiter individua.

dualis (b), per quam Deus ita est unicus, ut plane repugnet, plures dari Deos (c).

(a) Quo ipso polytheismum abesse jubemus, qui varias agnoscit causas, utpote veri Dei ignorantiam cum imbecillitate humani discursus conjunctam, & hominum malitiam; quibus accedunt occasiones desumptæ a pulchritudine totius universi, utilitate rerum quotidie provenientium, metu & assentatione nimia erga superiores, affectu in suos præcipue mortuos, ritu invocationum, &c. Adde *Ger. Jo. Vossium de O. & P. idol.*

(b) Non hic admittitur unitas per accidens, nec quantitativa, nec universalis, nec singularis prædicamentalis; sed singularis transcendens, quæ nullum dicit respectum ad essentiam superiorem seu specificam, seu genericam, adeoque negat non solum omnem divisionem & multiplicationem sibi coexistentium plurium ejusdem rationis singularium, sed omnem quoque divisibilitatem, & aptitudinem multiplicationis essentiae, ita ut impossibile sit, plura talia singularia præter unum reperiri.

(c) Esse Deum unicum, repugnareque plures dari Deos, demonstrari potest a priori, ex ratione essendi a se: Nam natura essentialiter HOC existens, non potest esse natura universalis, multiplicabilis, quia singularitas est ratio, cur aliquid non possit pluribus communi-

cari.

cari. Sed Deus est essentialiter hoc existens, seu singularis, quia est a se: E. Et huc forsan referri potest sententia Parmenidis, qui nihil esse dixit, nisi unum, intellige unum Deum: Nam si præter ipsum ens per se aliquid existeret, quod esset quoque ipsum esse, daretur aliquid esse præter ipsum esse, quod est absurdum. Ab aliis adduntur sequentes rationes: Deus est summus, perfectissimus, infinitus, potentissimus; E. unicus: plura enim talia non dantur, nisi velimus admittere esse talia & non esse talia, quia unum careret perfectione alterius. Porro id ostendunt ex gubernatione hujus universi, in qua pluralitas principatum non est bona; item, ab alio impossibili, quod si plures darentur Dii, haberemus plures fines simpliciter ultimos,

§. XIII.

Unitatem excipit simplicitas (a) quæ est realis (b) compositionis in Deo negatio

*Observe simplicitas alia est absoluta alia relativa simplicitas absoluta*

(a) Absolutam Dei simplicitatem probamus jam demonstrata unitate. Nam quo quid magis est indivisum, eo etiam est simplicius; Sed quo quid est magis unum, eo magis est indivisum, E. quo quid magis est unum, eo etiam magis est simplex. Vel ex eo, quod Deus est a se subsistens, sequitur omnem dependentiam tam ab intrinseco, quam ab extrinseco ab eo removeri; hæc vero remota, tollitur compositio. Alii idem probant ex Dei perfectio-

*non est a se ratione non est a se simpliciter simpliciter relativa, q. a. cu intellectu ad volitione contribuit puritate intelligens et volens*

*Simplicitas Dei probari potest h. m. Si Deus non est simplex simplicitate absoluta, d. compositus ex partibus. Et illæ partes serunt ab alio l. esse. In primis non erunt ab alio, quia eas Deus regeret in ordinem ex se. Deinde nec erunt a se, quia eas a se impo- terent limitationem in omni genere perfectionis partes a. impo- terent limitationem et inspectionem, quia est desio- aut a perfectione totiq. cu alio compositis concurrunt ad g. habent compositio perfectis.*





stinguit, etiam componere possit; quod simplicitati divinæ non repugnat, cum nihil in Deo mutetur, sed saltim in nostro intellectu. Si tamen compositio quædam rationis detur, imperfectionem aliquam involvens in objecto, omnino Deo repugnaret.

## §. XIV.

Immutabilitas est ratione naturæ seu essentiæ (a) nullius mutationis in Deo negatio (b).

(a) Alias immutabilitas tam late extenditur, ut sumatur pro ea, quæ est loci, cujus ratione immensitas dicitur; vel quæ est durationis, cujus ratione est æternitas; vel cognitionis, cujus respectu est omniscientia; vel decreti, cujus respectu est sapientia; vel essentiæ, quæ primario talis putatur, & in eo consistit, quod non detur transitus a non esse ad esse, vel a non esse tali ad esse tale & viceversa. Hanc speciatim hic intellectum volumus, quia reliquæ suo loco occurrent.

(b) Deo competere immutabilitatem ex eo probari potest, quod est a se subsistens, & nullum aliud datur ens, a quo moveatur: Conf. *Arist. l. 1. de celo textu 100.* Dein cum Deus vi simplicitatis summæ omnem realem respuat compositionem, nullam in se recipiet mutationem, quia illa hujus est origo. Aliis sequens placet ratio ex Dei perfectione desumpta: Aut mutatio illa esset in melius, aut in

deterius, aut in idem: hæc nulla est, & priores duæ sic admittantur, vel omnia in Deo sese optime non habuissent, vel optime sese habere desissent. Idem ostendere laborant ex natura actus purissimi. Neque obstant actiones Dei transeuntis, & relationes illi in tempore advenientes: Cum illæ non sint in agente, hæc vero sunt ipsa rei entias cum coexistentia termini, entitati illi plane extrinseci.

### §. XV.

Infinitas (a) est negatio finium perfectionis in divina essentia (b).

(a) Infinitas alias denotat modum quantitatis perfectionalem; hic vero respicimus essentiam, in qua sine ullo termino ita sunt omnes omnino creaturarum perfectiones vel formaliter, si ea sit mera perfectio, vel eminenter, si sit perfectio imperfectioni immixta, ut nihilominus a creaturis distincta maneat.

(b) Deo attributum hoc convenire probatur iterum ex eo, quia Deus est Ens a se subsistens, & sic esse suum citra omnem participationem illimitate habet, cum reliqua Entia essentiam suam participant per limitationem efficientis. Idem ex simplicitate deduci potest. Nam cum Deus ab omni extrinsecus accedente purus sit, sua tantum constabit essentia, & in ea omnia alia continebit. Alii id colligunt

ligunt ex summa actualitate & infinita Dei potentia, nec non seq. in modum: Si divina potentia non esset infinita, sed ex parte limitata, tunc id fieret vel ratione producentis, vel mensurantis æqualis, vel ratione continentis, suscipientis, excedentis, excessi. Sed nullum horum admitti potest, E.

## §. XVI.

**Immensitas (a) est negatio (b) mensurabilitatis per loca aut spatia (c).**

(a) Immensitas differt ab infinitate tanquam angustius a latiori: ab omnipræsenti, vero tanquam negativum a positivo, & absolutum a respectivo.

(b) Quæ tamen secum habet positivum quid, nempe aptitudinem ad existendum in infinitis spatiis, quam nos imperfecto nostro concipiendo modo nobis imaginamur per modum alicujus infinitæ extensionis ad infinita spatia.

(c) Dei immensitas probatur ex infinitate, ejus sequentem in modum: modus adessendi sequitur modum essendi, cum vero hic in Deo infinitus sit, & ille infinitus erit. Et quemadmodum esse in ubi est perfectio: & quo quis est in pluribus ubi, eo major gaudet perfectione; qui vero non est in omnibus ubi, is habebit perfectionis hujus terminum,

E 3

quod

quod de Deo dici nequit ; E, potius erit immensus.

§. XVII.

**Æternitas** (a) Dei est negatio omnis principii & finis ratione durationis (b) seu perseverantiæ inesse (c).

(a) Ex Scholasticis præter alias æternitatis acceptiones præcipue duæ notandæ veniunt : nimirum I. illis dicitur carentia initii & finis ratione durationis, licet simul non addit carentia principii secundum causalitatem & dependentiam. II. non solum carentiam initii & finis ratione durationis intelligunt, sed simul addunt carentiam principii ratione causalitatis. Hanc posteriorem solius Dei esse, volunt, priorem vero etiam competere creaturæ, cui non repugnaret esse Deo coeternam. De hac ultima controversia pro & contra disputantes vid. ap. *Max. Rev. Du. D. Velrbemium in instit. Met. c. 9. §. 1. not. 5. & cap. 10. §. 1. ejusque notis. Paulum Voerium in Theologia Reformata p. 210. & seqq.*

(b) Duratio quidem in rebus creatis extensionem formalem significat & si successionem per ante & post denotat ; nihilominus si in genere sumatur, abstrahit a formali & virtuali extensione ; & si de Deo dicitur formalis, applicari nequit, quia nullas admittit partes & in eo omnia sunt simul, prius & posterius.

(c) Deo

(c) Deo hoc attributum competere probatur  
 I. ex eo, quia est Ens a se subsistens; quod vero nullam sui causam in esse agnoscit, neque in durando agnoscit; quia eadem sunt essentia & durationis, tanquam perseverantia in esse, principia. II. ex eo, quia est immutabilis; nam si principium aut finem agnosceret, tunc Deus admitteret mutationem, a non esse ad esse, quod tamen fieri non posse §. 24. ostensum est. III. Ex eo, quia est infinitus, & quidem secundum totum esse, ergo etiam secundum durationem; quia duratio rei intrinseca non differt ab essentia.

## §. XVIII.

Vita (a) Dei (b) denotat vel ipsam illius essentiam, quatenus a nobis concipitur, ut principium operationis immanentis, vel operationem immanentem ab illa essentia procedentem. Hujus quasi gradus sunt intellectus & voluntas.

(a) Nomen vitæ, secundum Armandum de Bello visu, ex hoc sumtum fuisse videtur, quod aliquid a se ipso potest moveri. Ex hoc vero ulterius tractum est ad alia & attributum omnibus operationibus, quas aliquis ex se ipso exercet, non ab alio motus, etiamsi illæ operationes proprie non sint motus.

(b) Vita Dei non est vegetativa, aut sensiva,

tiva, aut rationalis, prout in viventibus naturalibus datur, partim propter esse incompletum, partim etiam propter esse materiale; sed est intellectualis, quod ex eo colligitur, quia Deus est ens spirituale. Nulla autem datur substantia spiritualis, quæ non sit de facto intellectualis. Imo Aristoteles 3. de anima, l. 15. omne immateriale per se esse intelligibile & intelligens censet. Hinc Thomas p. 1. q. 14. a. 1. secundum modum immaterialitatis æstimat modum cognitionis. Cum igitur Deus sit in summo immaterialitatis, erit etiam in summo cognitionis.

## §. XIX.

In Dei intellectu offendimus scientiam, quæ immediate (*a*) seipsum (*b*) & extra ipsum alia omnia (*c*) præterita, præsentia (*d*) & libere futura sive absoluta sive conditionata (*e*) cognoscit, ut & non entia (*f*) sine ulla sui mutatione (*g*) aut rerum contingentia diminutione (*b*).

(*a*) Excludimus hic species intelligibiles intellectui superadditas, quia in intelligente notant imperfectionem potentia passiva, distantia agentis a passivo & dependentia ab objecto, quæ in Deum cadere nequit. Similiter in Dei cognitione abest compositio, divisio & discursus

discursus, cum illa uno & simplicissimo actu absolvatur, quia in eo non est ut accidens sed realiter eadem cum essentia, hinc non potest esse nisi unica.

(b) Tanquam objectum primum, quod immediate terminat visionem, ita, ut ipsum non videatur, per aliquod objectum anterius, quantum attinet plenam sui cognitionem. Licet enim Deus, dum effectus suos contempletur, non possit non deduci in cognitionem sui ipsius, propter essentialem connexionem causam inter & effectum; tamen non est prima & immediata cognitio, quia Deus sibi ipsi intimior & prius secum est, quam cum ullis creaturis connectatur. Præterea cum creaturæ sint media inferioris ordinis, non satis idoneæ sunt vi sua ingenerare perfectam illam notitiam; sed saltem quoad an sit, quæ cognitio valde manca est. Tandem etsi de facto nullæ essent creaturæ, Deus tamen esset cognoscibilis absque nullo medio, quia per creaturas ad Deum pervenire est tantum viatoris, non Dei.

(c) Tanquam objecta secunda, a quibus, quatenus sunt omnia, Dei scientia dicitur omniscientia, & quatenus sunt possibilis, a Scholasticis dicitur naturalis in oppositione ad liberam. Hanc Deo competere probant ex ejus voluntate, quam adæquata cognoscit cum suo objecto. Dein ut in artifice perfe-

tionem dicit, habere cognitionem operis a se producendi, sic rerum omnium artifici denegari non potest præcognitio rerum a se producendarum. Qua ratione autem Deus hæc possibilia cognoscat, autores non conveniunt. Quidam putant, eum illa cognoscere in divina sua essentia cognita, tanquam subjecta secundaria in primario, sive caulata in causa. Alii putant Deum hoc modo creaturas non proprie cognoscere, quapropter dicunt eum percipere veritatem possibilium in se ipsis. Alii arbitrantur utroque modo rerum possibilium cognitionem a Deo fieri posse, quod absurdum non videtur. Quemadmodum enim præcedente not. dictum fuerat, posse Deum non tantum immediate suam essentiam, sed & per effectus suos contemplari, sic non repugnat creaturas in se ipsis & per divinam essentiam quoque intueri. Licet cum Max. Rev. Dn. D. Bechmanno Dissert. de Scientia non immerito dubitemus, an modus omni ex parte & accurate explicari possit.

(d) Secundum esse quod habent vel habuerunt: cognoscit ergo præterita secundum esse, quod aliquando vere habuerunt, præsentia vero secundum esse quod adhuc actu habent.

(e) Sunt quædam futura simpliciter necessaria, quæ a causa naturali ad unum determinata proveniunt, nec per causas naturales impedi-

pediri possunt. Sunt alia, quæ quidem a causa ad unum determinata oriuntur, simul tamen per alias causas impediri possunt. Alia quoque sunt, quæ causa libera vel proxime vel remote oriuntur, nihilominus tamen ita eveniunt, ut propter causæ libertatem possent non evenire. Et hæc ultima sunt vel absoluta, quæ revera, mutabiliter tamen eveniunt; vel conditionata, quæ non futura sunt, nisi sub aliqua conditione, quæ multiplex est: quædam enim est causalis, quæ aliquam saltem rationem habet causæ respectu effectus secuturi: quædam mere conditionalis, quæ effectum quidem antecedit, nullo tamen modo in eum influit; quædam disparata, quæ nullo modo influit in effectum, nec ad eum prærequiritur. Dum igitur Deo scientia futurorum tribuitur, præcipue quæritur de libere futuris, iisque tam absolutis (quæ libera dicitur) quam conditionatis, tam causalibus, quam mere conditionalis, (quæ media dicitur). Et has ipsi competere probamus I. ex ejus infinitate. Si enim essentia divina infinita est, utique etiam scientia, quæ ab illa a parte rei non differt, talis erit & ad omnia intelligibilia se extendet, inter quæ referri omnino debent libere futura tam absoluta, quam conditionata. II. Ex æternitate, per quam in Deo nihil successive ponitur, & per consequens etiam scientia erit præsentissima, sive eorum, quæ jam præ-

præterierunt, sive quæ jam sunt, aut adhuc futura sunt. Quæ cetero præfenter cognoscuntur, illa non possunt non cognosci. Neque quicquam ex parte futurorum obstat, cum hoc ipso, quod aliquando sint certo exitura, non possit eis denegari veritas; ergo quoque scibilia erunt; quia quod verum est, scibile quoque est per actum verum.

(f) Ut I. negationes & privationes; nimirum in subjecto, cui quasi adherent; cognoscit enim Deus subjectum illud, quale revera est, atque sic ut non habens formas debitas; ergo illud concipit cum formarum negationibus. II. Entia rationis ab intellectu creato jam ficta & facta cognoscit: Nam Deus essentiam cognitionis creatæ penetrat, ergo etiam illius objectum cognitum habere debet. Ex hoc vero quod Deus alienam imperfectionem cognoscit, in ipsum nulla imperfectio cadere potest. III. Impossibilia cognoscit ex possibilibus, quia his cognitis illa eodem actu indirecte concipiuntur. IV. Possibilia, quæ tamen nunquam producere vult ex sua infinita potentia, cognoscit.

(g) In nostra cognitione cernimus variationem secundum ordinem temporis, & præfentia cognoscimus non nisi in actu existentia, præteritorum habemus memoriam, & futura vel prorsus nescimus, vel saltim illarum habe-

habemus conjecturam. At in Deo nulla talis datur mutatio, neque ratione scientiæ neque ratione temporis, cum sit extra ordinem temporis in alta æternitatis specula constitutus, & intuitive omnia tam præterita, quam præsentia & futura secundum esse debitum cognoscat. Et sic, licet objecta mutantur, nulla tamen ex illorum mutatione in Deo colligi potest mutatio.

(b) Nullam enim necessitatem rebus futuris hæc scientia contrahit, cum neque ordine causalitatis, nec durationis præcedat. Non ratione causalitatis, quia scientia sine voluntate efficaci spectata non facit objectum, sed illud supponit. Ergo, non ideo futura sunt res, quia prævidentur, sed potius ideo prævidentur, quia futura sunt; Et sic non datur necessitas, quæ rem antecedit, sed quæ illam consequatur, non absoluta, sed hypothetica. Quemadmodum enim cum spectator alium videt scribere, qui potest etiam non scribere, non propterea ad id ab illius visione adigitur, licet posito, quod hic scribat, & ille apertis oculis animoque attento eum tueatur, necessario videat scribentem. Neque ratione durationis præcedit, cum res futura æque ab æterno futura sunt quam Dei præscientia. Dum igitur sic salva manet rerum contingentia, non tamen tollitur scientiæ divinæ certitudo & infallibilitas, quia attingit contingens, quod revera erit etiam si  
libe-

libere erit. Illud vero quod revera erit per causam se libere determinaturam est certo cognoscibile, & sic necessario terminus divinæ cognitionis, quam nullum verum potest subterfugere.

## §. XX.

Sapientia Dei versatur circa causas & effectus, eosque ita disponit, ut omnes unum respiciant finem (a).

(a) Si conditiones sapientiæ ab Aristotele recensitas attendamus vix dubitare possumus, Deum esse sapientissimum, cum res omnes, maxime difficiles & a sensu remotissimas, certissima cognitione penetrat, ceu in notis §. præced. edocti fuimus. Præcipue vero ea cernitur in hujus universi fabrica atque administratione, in qua omnia secundum numerum & mensuram constantissima harmonia absolvuntur, prout supra in demonstratione existentia divinæ pluribus dictum fuerat.

## §. XXI.

Veracitas (a) Dei est voluntas (b) immutabilis (c) in dictis proferendis (d) & promissis servandis (e).

(a) Veracitas alias dicitur vel entis & est metaphysica, vel voluntatis, & est moralis, vel intellectus & sermonis, & est logica. Omnes tres Deo quidem applicari possunt, sed veritas mora-

moralis præcipue nunc attenditur, cum reliquæ duæ suo loco jam fuerint tractatæ. Ea vero in Deo est non secundum materiale, quod habet, ut est in creaturis. per modum nimirum virtutis, aut habitus aut effectus, sed secundum formalitatem & perfectionem simpliciter simplicem quam involvit.

(b) In Deo voluntatem dari, fluit ex intellectu ipsi concesso, quia hunc utique sequitur propensio et pondus in bonum intellectu perceptum, sive eo egeamus, sive non, atque ad eo voluntas. Dein voluntas in sua formalitate nullam involvit imperfectionem, & est in creatura, ergo etiam in Deo. Tandem requiritur ut agens per intellectum & voluntatem prius sit agente per naturam, cum illud huic finem & medium præscribere debeat: Jam vero Deus in ordine agentium est primum, secundum superius demonstrata; Ergo per intellectum & voluntatem aget. Habet hæc voluntas pro objecto ipsum Deum, res creatas, & mala poenæ; mala culpæ vero & impossibilia sunt pro objecto negativo, ut nonnulli loquuntur, id est averfatur. Dividunt eam Scholastici in absolutam & conditionatam, antecedentem & consequentem, signi & beneplaciti &c.

(c) Non ratione objecti, nec necessitatis agendi, sed ratione volitionis, quia alias mutabi.

tabilitas in Deo argueret imperfectionem ignorantiae præcipitantiæ &c.

(d) Hæc constans in proferendo vero voluntas ita Deo competit, ut si contrarium ageret & mentiretur, excideret aliqua perfectione, & sic proprio suo esse, quod nil nisi infinita perfectio est. Præterea summa Dei sanctitas penitus aliena est a disconvenientia oris & cordis, cum in mendacio intrinseca sit malitia; ceu in morabilibus docetur.

(e) Dicitur alias fidelitas, qua quis se obstringit, ut verum reddat, quod dixit. Ubi iterum contrarium in Deo concipere non possumus: vel enim promissa non servaret, quia cum promisit, simulate & contra mentem promisit, quod pugnat cum asserta immutabili in proferendo vero voluntate: vel quia licet ab initio ex animo promiserat, postea mutata mente nollet exequi promissum, quod antea ratum esse volebat; sed hoc iterum pugnat cum immutabilitate voluntatis, de qua ante dictum erat.

§. XXII.

Justitia Dei si in ordine ad Deum considereretur, nihil aliud denotat quam illius sanctitatem, vel ut Scholastici loquuntur, moralem indefectibilitatem (a) qua nil nisi bona vult: Si vero in ordine ad alios (b) spectetur, importat talem rectitudinem; qua-

qua creaturis rationalibus certas atque naturæ convenientes leges præscribit, per eas administrat, (c) atque probos præmiis, impios vero debitis afficit pœnis (d).

(a) Hanc requirit summa DEI perfectio: Omnes enim sub nomine Dei illud concipimus, quo melius quid cogitari non potest. At si Deus moralem haberet defectibilitatem, aliquid perfectius cogitari posset: ergo necesse est illam abesse. Dein supra vidimus, Deum se ipsum cognitione comprehendere; ergo etiam se ipsum necessario amabit & alia omnia expetet in ordine ad se ipsum: quo ipso infertur honestas objecti illius voliti, & volitionis in illud tendentis. Tandem sicut regula errare non potest, sic Deus qui sibi ipsi regula est, non potest a se ipso deflectere; ac proinde habet voluntatem indefectibilem, quæ non potest prava agere.

(b) Et hanc in ordine ad creaturas Deo competere, probatur. (1.) Ex eo, quia exercitium justitiæ dicit perfectionem simpliciter; E. Deo denegari non poterit. (2.) Ex eo, quia convenit Rectori universi, unumquodque regere, suum cuique tribuere, quod ei voluit esse debitum; ubi vero est actus justitiæ, ibi ipsa justitia abesse non potest. Nec  
 F est

est, quod quis putet, justitiam aut plane tolli, aut saltim infringi a divina misericordia: Nam optime Thomas P. 1. Q. 21. art. 3. *Deus misericorditer agit, non quidem contra justitiam suam faciendo; sed aliquid supra justitiam operando, sicut si quis offensam in se commissam remittat.*

(c) Nam DEUS, a quo homo instinctum & propensionem ad societates naturales accepit, easdem tali jure munivit, eoque vinculo connexas conservat, quod rationali hominis naturæ, quam accepit, accommodatum est. Si enim alias res creatas aspiciamus, convenientissimis mediis & instrumentis, quasque ad suum finem instructas esse deprehendimus, ut non tam absurdum, quam impium dictu, cogitatuque fuerit, hominem vel minori vel nulli curæ esse Deo. Confer. *Arist. 1. Nicom. 7.* Cum ergo homo a natura conditus sit animal sociale, & opus ejus proprium sit vivere secundum rationem, ut in vita civili semper sit occupatus *ἡνεκα τῆς*, regulas vivendi, rationali ejus ac sociali naturæ convenientissimas, providentia divina præscripsit, quæ sunt ipsa jura naturæ h. e. profecta a natura naturante, Deo nimirum sua providentia omnia ad debitum finem convenientibus mediis dirigente, accommodataque naturæ naturatæ, homini nimirum animali rationali & sociali.

(d) Sunt hi actus justitiæ judicii, quæ du-

duplex est, vel remuneratoria, sive præmians gratuito bene agentes; vel correctiva erga male agentes, quæ rursus a nonnullis triplex constituitur, castigans sive emendans erga filios, præparans sive retrahens ac reprimens, & vindicans seu punitiva proprie sic dicta, quam exercet erga impios; Confer, *Senec. de Providentia.*

## §. XXIII.

Potentia Dei (a) est ipsa divina essentia (b) potens ad operandum extra se, omnia (c) quæ possibiliter (d) sunt, & nullam in agente imperfectionem important (e).

(a) Potentiam activam in Deo esse, exinde colligitur, quia agere & posse agere perfectionem arguit simpliciter. Dein ipsi actus DEI transientes, ut creatio & conservatio, supponunt agendi potentiam E.

(b) In hoc non conveniunt autores; quidam enim putant potentiam divinam proprio formali dicere primum & quidditativum essentia divina conceptum; alii, esse divinum intellectum formaliter; alii, voluntatem divinam esse eandem formaliter; alii, & voluntatem & intellectum. Nobis placuit assumere essentiam divinam ut efficacem. Nam licet potentia ab essentia, intellectu & voluntate non differat realiter, tamen ut reli-

qua attributa ab illis ratione ratiocinata distinguitur, cum omnium alius atque alius sit conceptus. Scientia enim secundum *Thomam part. 1. q. 19. art. 2. ad 4.* est causa dirigens, voluntas ut imperans, potentia ut exequens & immediatum operationis principium.

(c) Hinc dicitur omnipotentia, quam Deo competere probamus (1) ex infinita essentia: Modus enim operandi sequitur modum essendi. Cum vero hic, secundum superius dicta, infinitus sit, & ille talis erit, nimirum infinitus, tam intensive, ratione actionis, quæ infinite perfectionis est, quam extensive, ratione objectorum, dum non producit tot effectus, quin semper plures possit producere. (2) Ex sapientia summa, qua circa causas & effectus omnes versatur, non obscure colligitur omnipotentia. Quicquid enim per suam sapientiam concipit, tanquam verum, id omne etiam efficere potest. (3) Ex operibus jam factis, eorumque productione, quæ arguit infinitam potentiam, tum ratione actionis, tum ratione termini. (4) Si esset finita, tunc illa talis esset, vel propter essentia divina inhabilitatem, vel propter superioris alicujus voluntatem; sed neutrum dici potest, propter infinitam essentia & carentiam superioris. E.

(d) Possibile hic non sumitur in ordine ad potentiam, a qua aliquid actuatur, sed funda-

damentaliter, quod in se non habet repugnantiam ad esse : quemadmodum scibile dicitur, quod in se potentiam habet, ut sciri possit. Et hoc possibile iterum non est cum appposito, quod huic vel illi creaturæ possibile est, sed absolute, quod in actu positum nihil impossibile ponit, utpote posse plura facere, quam fecit, unam atque eandem rem non quidem meliorem reddere in essentia, cum sit indivisibilis, sed in accidentibus; alias res sive in essentia, sive in accidentibus meliores efficere, supra naturam agere, auctus naturales & a causis secundis provenientes, modo non involvant imperfectionem, in creaturis producere, & ea quoque posse facere, quæ nunquam facere vult. Excluduntur ergo impossibilia in ordine ad objecta, quæ habent intrinsicam repugnantiam ad essentiam, ut sunt: esse simul contradictoria; plura infinita sive alium Deum facere; facta infecta, præterita non præterita reddere.

(e) Quia est ens perfectissimum, a quo omnes imperfectiones sive naturales sive morales abesse debent, ut sunt: mori, peccare, mentiri, item causalitatem materiæ & formæ exercere, quæ esse incompletum arguunt.

## §. XXXIV.

Bonitas Dei consideratur vel absolute & in se (a), vel respective, & ad alios

F 3

se-

secundam habitudinem causæ efficien-  
tis, quatenus creaturis bona largitur,  
(b); vel finalis, quatenus omnes creatu-  
ræ ad Deum tanquam ultimum finem  
(c) & summum bonum feruntur.

(a) Hac ratione considerata Dei bonitas  
coincidit cum ejus infinitate, de qua §. 15. ut &  
sanctitate, de qua §. 22. Not. (a) egimus.

(b) Fluit respectiva bonitas ex absoluta,  
quia quo perfectior est alicujus essentia, eo minus  
indiget aliis rebus, & eo plus aliis potest com-  
municare; sed Dei essentia &c. E. Testantur ean-  
dem creaturæ omnes ratione productionis &  
conservationis, prout infra pluribus dicitur.  
Conf. interia Senec. de beneficiis l. 4. c. 5.  
seqq.

(c) Certum enim est, ad evitandum pro-  
gressum in infinitum, debere dari aliquem fi-  
nem simpliciter ultimum. Is vero nullus a-  
lius esse potest, quam Deus. Nam cum  
Deus hoc universum condidit, certe non  
frustra id fecit, sed ob aliquem finem; hic ve-  
ro melior esse debet eo, nimirum universo,  
quod est præter ipsum. E. non potest esse ali-  
quid productum, cum esset hujus universi pars;  
sed improductum, quod est Deus; cum præ-  
ter ipsum nullum detur aliud improductum.  
Confirmant idem omnia summi boni requi-  
sita, quæ hic tanquam in centro invenies?  
est quippe bonum maxime diuturnum; nul-  
lo

lo malo permixtum; maxime commune, non quidem essentialiter, sed effective & finaliter; sibi & aliis sufficiens; summe divinum, imo ipse Deus; efficax & maxime utile, in quo tam magna sunt bona, ut non possint mensurari, tam multa, ut non possint numerari, tam copiosa, ut non possint aestimari; & denique simpliciter ultimum. In hoc ultimum bonum hominem ferri, jam olim Platonici sequentem in modum ostenderunt: Voluntas nostra nullo satiatur bono, quam diu putat, bonum præterea aliud superesse: solo igitur eo bono satiatur, ultra quod nihil est boni. Quid autem hoc aliud nisi DEUS? Quapropter in solo DEO quiescere potest intellectus inquisitio, & voluntatis affectus. In Deo igitur solo hominis beatitudo consistit. Reliquæ creaturæ omnes ad eundem ultimum tendunt finem, sed cum hoc discrimine, quod inclinent saltem in aliquod bonum particulare, quod de summo illo participat, & sic virtute hujus tendunt in ultimum bonum, secus ac creaturæ rationales, quæ appetitu formali & immediato in illud feruntur, tanquam in simpliciter ultimum & objectivum finem.

## §. XXV.

Præcipuus inter bonitatis divinæ  
radios omnino est hujus universi crea-  
tio,

F 4

tio,



rio (a), quæ est productio (b) entis (c) a  
 subjecto vel materia independens (d).

(a) Creationem per naturam cognitam esse inde patet (1.) cum naturaliter cognitum sit, non posse dari progressum in infinitum, naturaliter etiam erit cognitum, dari creationem; cum, ubicunque non datur causarum progressus in infinitum, sit in aliquo penultimo subsistendum, quod ex non præsupposito factum sit subjecto; illudque non nisi per creationem suum esse poterit accipere. (II.) Cum animæ rationalis spiritualis natura per rationem naturalem innotescat; & per eandem constet, spiritum generari non posse, neque præter generationem & creationem alius substantiam producendi modus supersit; sequitur, eam non nisi per creationem posse produci, de ratione constare naturali. Patri modo ex lumine naturali constat Deum posse creare. (1.) quia perfectio simpliciter talis Deo convenit: Verum creare posse est perfectio simpliciter. E. (2.) ut se habet Deus in essendo, ita etiam se habet in operando: atqui in essendo est independens, ergo etiam in operando, i. e. aliquid ex nullo præexistente subjecto producit. (3.) Deus potest omnia annihilare suspendendo solum influxum suum. E. potest omnia ex nihilo ad esse deducere; cum utrobique infinita virtus requiratur. (4.) Productio entis ex nihilo nullam dicit repugnan-

gnantiam, neque ex parte causæ, quæ infinitæ potentia est; neque ex parte effectus, quia esse potest. E. a Deo fieri potest. Fuisse vero & Aristoteli cognitam creationem probavit *Zeisoldus in Consens. & Dissens. Arist. cum Sacra S. Diss. 5. art. 1. §. 13.* sequentem in modum: Quicumque statuit potentiam effectivam eique respondentem actum cum motu non communicantem (adeoque a subiecto independentem,) ille statuit potentiam creativam eique respondentem actum creativum; sed Arist. statuit potentiam effectivam &c. E. statuit potentiam creativam & ei respondentem actum creativum. Major constat, quia potentia effectiva a motu & subiecto independens non est alia, quam potentia creativa, & actus ei respondens non est alius, quam creativus, sive creatio. Minor probatur ex *Lib. 9. Met. c. 1.* ubi Philosophus potentiam & actum etiam ponit in illis, quæ sine motu agunt, fiuntque, & hoc ipso potentiam effectivam statuit sine motu, adeoque sine subiecto. Præterea etiam Arist. in particulari rerum creationem statuit, prout idem Auctor. monstrat.

(b) Putant nonnulli formalem rationem creationis ex parte creatoris esse ipsum actum divinæ voluntatis, ex parte creaturæ vero relationem ejus ad creatorem. Alii, inter quos Thomas, Vasquez, volunt creatio-



nem secundum rem nihil aliud esse, quam relationem creaturæ dependentis a creatore. Sunt iterum alii, qui dicunt creationem esse aggregatum ex creatore & creatura, i. e. a parte Dei esse ipsam voluntatem ejus, cum habitudine actualiter producendi creaturam; a parte creaturæ vero ipsam creaturam, quatenus dicit ad Deum habitudinem accipientis esse. Verum hic solliciti sumus de ratione formali creationis, non de aliquo posteriori. Nam cum creationem concipimus, nec Deum directe concipimus, nec creaturam, nec utrumque simul, sed rationem formalem creandi: Quæ quia se habet ut Quo, quapropter nec Deus est, qui creat ut Quod, nec terminus qui creando producitur, ut Quod, sed ab utroque distincta est. Nobis ergo creatio erit productio sive actio transiens; quia quemadmodum ratio formalis, qua agens aliquid producit, est actio; sic etiam formalis, qua creans aliquid producit ex nihilo, est actio. Immanens vero esse non potest, cum actio immanens non ponat aliquem effectum extra agens; E. transiens, quæ ad terminum extra agens existentem refertur, eumque intrinsece efficit. Conf. *Schleyogt. Disput. 18. de creatione prima p. m. 409. seqq.* Actionem hanc in tempore sed indeterminate se exeruisse, ut alia nunc taceamus, ex rerum corruptibilium productione colligi potest. Cum enim specie-

cierum generationes non sint actu infinitæ, si-  
stendum tandem erit intra eandem speciem in-  
aliquo generante, quod non sit generatum;  
Hoc jam dato, quæritur an illud generans ul-  
timum, in quo subsistimus, sit improductum  
vel productum; prius esse non potest, cum  
plura talia non dentur; E. posterius, non tamen  
per generationem, cum sit ipsum ultimum ge-  
nerans, E. per creationem, quia tertium non  
datur. Determinatum vero tempus lumine  
naturæ assignare nemo potest, cum ne quidem il-  
li, qui lumen Scripturæ consulunt, in hoc puncto  
convenire potuerint.

(c) Tanquam termini ad quem: utpote  
(I.) intelligentiæ, quarum Deus est causa pro-  
ductiva secundum *Arist. 2. Rhet. c. 23*. E. crea-  
tor illarum quoque erit, quia sunt sine materia,  
E. etiam sine materia sive subiecto concurrente  
productæ fuerunt. (II.) materia prima; quæ-  
cunque enim substantia cœpit; & tamen non  
cœpit cum motu & dependentia, illa cœpit per  
creationem, cum tertium non detur. Sed  
materia. E. Minor probatur ex *Metaph. 12.*  
*c. 2.* quod dependet ab aliquo in esse, illud ac-  
cipit ab eo esse. Materia prima &c. E. (III.)  
anima rationalis, quia non communicat cum  
materia, i. e. nullam secundum esse, fieri & o-  
perari ab essentia habet dependentiam. E. non  
potest e potentia materiæ educi; sed creari.  
Præter entitatem immaterialem etiam ea, quæ  
a materia sua natura dependet, non solum,  
sub-

substantia, sed etiam accidens, quod alias ex natura rei postulat in subiecto fieri, creatur, vel, ut alii volunt, concreatur. Aliis terminum creationis ad quem dividere placet in naturalem & præternaturalem, adæquatum primum & per se intentum, & inadæquatum, secundarium & per aliud intentum.

(d) Ergo terminus a Quo erit NIHIL, non illud, cui plane repugnat esse, & quod impossibile dicitur, de quo supra dictum fuerat, non posse sub Dei potentiam cadere; sed illud NIHIL, cui non repugnat esse, quod iterum est, vel pure negativum, quando nihil vel materia vel subiecti præsupponitur, sed sola non repugnantia ad esse, & actio quæ circa hoc nihilum versatur, creatio prima & immediata dicitur; vel est aliquid, sed inhabile ac indispositum, ex quo agens creatum talem effectum producere non potest, & quia hic par ferme virtus requiritur, dicitur creatio secunda & mediata. Quomodo vero hæc absoluta fuerit, nullus Neotericorum sola ratione explicare, neque tempus, quod in illa consumptum fuit, determinare poterit.

## §. XXVI.

Proximus ab eo radius est Providentia (a) i. e. decretum Dei immutabile, (b) omnes creaturas (c) conservandi atque gubernandi (d).

(d) Vi

(a) Vi vocis providentia dicit *πρόγνωσις* seu præscientiam; cum vero supra jam de ea actum fuerit, nunc practicam potius considerabimus scientiam, quæ per voluntatis decretum ad actus conservationis & gubernationis tendit. Et hanc pauci DEO denegarunt, cum Picus non vereatur scribere, nullum se legisse boni nominis auctorem, non modo nec philosophum & oratorem, sed nec Poëtam, qui Dei providentiam ad res inferiores etiam minutas non prædicaverit. Neque (1) aliter res ipsa permittit, dum nullus operator negligit operis sui curam. Cum aliquid non fecisse nulla injuria sit, non curare quod feceris, summa inclementia. Deus autem cognitione præditus est exquisitissima, & potentia firmissima, & voluntate optima: E. res ab ipso creatas negligere nequit. (2) Idem postulat creaturarum conditio. Hæ enim non possunt esse inchoare, nisi per influxum causæ primæ sive generalem sive specialem, E. etiam non possunt continuare esse, nisi per eundem influxum, quia ipsi necessario & sic semper competit a Deo dependere. (3) Omnium creaturarum ordo & dispositio ad se invicem. (4) Varia absurda nos cogunt idem statuere, utpote illa sublata, sequeretur religionis eversio, virtutis ac honestatis excidium, legum ac politiæ enervatio, ac tandem humanarum societatum destructio.

(b) Ita

(b) Ita tamen ut hominum libertas cum ea salva stare possit; quia Deus nihil antecederet sanciens circa humanam voluntatem, sed tantum præsciens operationis sequentis a voluntate, in talibus circumstantiis constituta, si ipsa per se solam posset agere, decernit applicare se ad eliciendam cum ea operationem, ad quam ipsa voluntas creata supponitur ex se ferri. Actionem sic eliciendam, Deus deinde per alium voluntatis ulteriorem actum ratione distinctum, ordinat ad finem debitum, & statuit convenienti præmio compensare aut supplicio plectere; quæ omnia libertatem nostram omnino illæsam servant, prout etiam ex illis patet, quæ supra de scientia §. 19. not. b. dicta fuerunt.

(c) Quia omnes ab ea sunt: E. etiam secundum dicta in not. i. hujus §. omnibus illis prospicit; utpote totus mundus generatim sumtus, corpora cœlestia, elementa, mixta inanimata & animata, & in specie homo, ad quem tanquam centrum hujus universi varii divinæ providentiæ radii feruntur, qui partim ortum ejus, partim progressum in hac vita atque ex eodem egressum concernunt. Excluduntur igitur ab ambitu providentiæ ea, quæ ab ipso non sunt, utpote peccata ad quæ directe illa non pertinet, sed saltem indirecte, quatenus Deus ea non intendit, sed bonum ex illis eruit & ea punit: vel, ut alii rem explicent,

cant, dicentes : Cadere tam bona quam mala sub providentiam, sed diverso modo : illa Deus vult, jubet, approbat, laudat, provocat, juvat, excitat & exornat : Hæc vero (1.) antecedenter non vult, improbat, prohibet, & averfatur. (2.) Concomitanter male agentis naturam fuffentat, & ἀνάγκη positive non inhibet, fed intra certos limites fancte permittit. (3.) Confequenter ad finem dirigit & punit.

(d) Propofitum confervandi refpicit actum confervationis, qui eft fuffentatio existentia, ne iterum in nihilum relabatur, per influxum pofitivum, ita ut res fine eo efle non poffint. Circa rationem formalem confervationis licebit eadem ratione philofophari, ac circa creationem, a qua realiter non differt, cum eundem terminum refpiciat, fed tantum ratione, propter diverfa connotata. Poffunt quoque argumenta in genere de providentia not. (a) prolata actui confervationis Deo assignari, quibus addere liceat, quod res corruptibiles ( de incorruptibilibus res extra controverfiam efle videntur, ) neque a cælo, neque a generante, neque a partibus conflituentibus, neque ab ulla alia creata fubftantia confervari poffunt : E. a folo Deo.

(e) Propofitum gubernandi refpicit actum concursus, qui nihil aliud eft, quam pofitivus influxus, quem Deus præbet im-

me-

mediate ad effectum vel actionem causæ secundæ: E. creaturæ revera agunt, quod etiam (1.) testantur potentiæ activæ, rebus creatis non frustra datæ, (2.) discrimen animatorum & inanimatorum, nimirum in se habere principium actus. (3.) Sensus. (4.) hominis libertas. (5.) Creaturarum irrationalium in agendo necessitas, quæ salva non maneret, si Deus tanquam agens libertinum in creaturam ageret. Cum his tamen actionibus Deus concurrat (I.) non ut principalis cum instrumentali, cum creaturæ habeant virtutem sufficientem ad agendum, instrumenta vero non; præterea instrumenta a causa principali diriguntur ad certum finem, a quo actio dicitur seu bona, seu mala, & hac ratione, si creaturæ essent instrumenta, Deus evaderet malorum autor. (II.) Non ut partialis cum partiali, cum hæ causæ sint in eodem genere & ordine, quod de Deo & creaturis dici nequit: Sed (3.) ut causæ distinctæ totales, quarum altera, nimirum Deus est universalis, altera, nimirum creatura, est particularis, a qua esse determinatum res habet. Hunc concursum tanquam actum transeuntem, influxum esse diximus, alii, sed minus recte, ipsum vel volitionem, vel virtutem quandam superadditam creaturis, vi cujus agere possent, vel motionem, quæ creatis rebus impressa fuit, ut efficax fierent ad agendum, esse voluerunt.

## §. XXVII.

Hic terminus, est ultra quem ratio nostra in cognitione divinæ essentiaë attributorumque ascendere nequit. Hinc sibi relicta Trinitatis mysterium non attingit (a), non obstante, quod Philosophis priscis cognitum fuisse dicatur (b.) Licet per revelationem jam cognitum ex lumine naturæ aliquo modo illustrari possit (c).

(a) Trinitas in unitate essentiaë, seposito scripturæ lumine, naturali ratione probari nequit, quia id fieri deberet, (1.) vel via causalitatis, velementiaë, vel negationis; sed nulla harum viarum solide id præstari potest. Ergo: (2.) vel ex actionibus Dei ad intra, vel ad extra; sed neque ex his, necque ex illis: Ergo. Non ex actionibus ad intra, quia hæ per actiones ad extra innotescunt, cum nihil in Deo manens, nobis innotescat, nisi manifestetur; seposita vero revelatione nihil aliud datur, præter actiones ad extra, quod nobis illas manifestare possit. Verum nec id fieri potest per actiones ad extra, cum & hæ nobis innotescant per effectus; sed iterum effectus creati ad id sufficientes non sunt. Nam si effectus creati & quicquid in illis est, commune est tribus Personis in Deitate, sequitur ex illis personarum trinitatem non innotescere.

G

Sed

Sed verum est prius. Ergo & posterius. Consequentia ex inde perspicua est, quia quod omnimodam declarat communionem, nullam infert distinctionem, *Confer Thom. Part. 1. quaest. 32. art. 1.* Præterea quæcunque colligimus ex creaturis, ea omnia tendunt in unum finem. Ergo; in quantum unitatem dicunt, nullam distinctionem aut pluralitatem inferunt. Ubi tamen & illud monendum, licet ratio nostra mysterium hoc non attingat, non propterea statim illud rejicere, tanquam sibi adversum; sed potius cum aliis, extra sphaeram objectorum suorum positus, salvum debet relinquere. Aliis tamen aliter videtur, dum (1.) putant via eminentiæ Trinitatem in unitate colligi posse, cum DEO non repugnet, & perfectionem dicat. Ergo; in eo datur. Sed unde constat rationi nostræ seposito lumine scripturæ, Deo non repugnare, atque perfectionem dicere tres personas esse in una essentia? Cur non est perfectio duo aut quatuor aut plura esse in uno? Dein non omnia perfecta in Deo sunt formaliter, sed interdum eminenter (2.) si unum relativum in rerum natura efficaciter ostendi potest, & reliquum etiam eadem cognitionis specie notum esse, necessarium est; sed imago Trinitatis in animæ nostræ potentiis efficaciter ostenditur per rationalem naturalem; Ergo & personarum divinarum Trinitas ostenditur.

ditur. Nimirum in mente nostra ponunt trinitatem memoriæ, intelligentiæ & amoris; hæc tria autem non sunt tres; sed una mens, una essentia. Verum quemadmodum prius cognoscuntur extrema, quam relatio: ita plane necessum est, Trinitatem prius cognoscere, quam Trinitatis imaginem; sed illa naturali ratione non cognoscitur. Ergo; nec illius imago naturaliter ostenditur. Dein cur non potius duæ tantum sunt personæ; quia duæ sunt facultates animæ rationalis, intellectus & voluntas. (3.) Si perfectis animalibus maxime proprius est actus generationis, & geniti ad generationem maximus est amor, sequitur, id etiam in DEO entium perfectissimo esse. Et sic habebimus Patrem generantem, Filium genitum & Spiritum amorem, tanquam utriusque vinculum. Sed Resp. hoc argumentandi modo sequeretur etiam Deum nutrirī debere. Dein non quavis perfectio Deo formaliter competit, sed simpliciter simplex? At illam divina essentia talem esse, seposita revelatione, ratio animadvertere nequit. Cui volupe est plura horum Autorum argumenta cognoscere, evolvat *Bartholomæum Keckermannum Lib. 1. systemat. Theologico c. 3. 4. cui ex assse satisfacit B. Musæus in peculiari dissertatione. Philippum Morneauum de veritate religionis Christianæ c. 5. Raymundum de Sabunde in Theologia naturali*

& tit. 46. ad 55. p. m. 63. seqq. *Guilielmum Po-*  
*stellum de Orbis concordia L. 1. c. 3. pag. m. 16. &*  
*seqq. Adde si placet nostram dissertationem,*  
*cui Titulus: Ratio in mysterio Trinitatis*  
*captivata.*

(b) Prout id patet, alios ut nunc taceam,  
 ex lib. 1. & 2. *Augustini Scauchi Eugubini de*  
*perenni Philosophia*, ubi testimonia adducit  
 quam plurima ex theologia *Aegyptiaca*, *Pytha-*  
*gorica & Platonica*. Sed putant nonnulli in  
 antiquis auctoribus probe versati, longe aliam  
 esse horum Auctorum mentem, nimirum vel in-  
 telligere eos mundum a DEO productum,  
 vel idealem rationem, qua DEUS condidit uni-  
 versa, non vero personam aliquam distinctam.  
 Posito tamen, illos revera loqui de aliqua perso-  
 narum Trinitate, tunc fieri potuit, ut vel per  
 traditionem ex commercio cum populo Ebraeo,  
 vel lectionem sacri codicis, vel revelationem o-  
 raculorum quandam, sed obscuram & incer-  
 tam cognitionem habuerint, & ita propriis ra-  
 tionis viribus eo pertingere non potuerunt.

(c) Rectissime Thomas loco citato. Tri-  
 nitate jam posita, intellige ex Sacra Scriptu-  
 ra, congruunt hujusmodi rationes, non ta-  
 men ita, quod per has rationes sufficienter  
 probetur Trinitas personarum. Sunt vero  
 tales rationes seu similitudines desumptae a  
 productione per modum intellectus & vo-  
 lunta-



luntatis; a verbo activo & passivo; a potentis animæ; ab entis attributis simplicibus; a modo, specie & ordine, a numero, mensura & pondere; ab igne in quo sunt motus, lux & fervor &c. plures alias similitudines vide apud jam citatos Autores, quibus adde Hannibalem Rosfelis in *Pimandrum Mercurii Trismegisti Lib. 2. commentar. 1. quest. 1. c. 1. p. 163. & quest. 5. c. 1. pag. 183. seqq.* Cavendum igitur ne has aliasque similitudines tunc adducamus, cum solidæ desiderantur probationes, nec infidelium ludibrio nos exponamus, ac si his similitudinibus ad credendum induceremur.

## PARTIS PRIMÆ

### SECTIO SECUNDA.

De

## FINE FORMA'LI.

§. I.

**F**inis formalis Theologiæ naturalis est beatitudo seu adeptio & fructio summi boni, quæ nihil aliud est, quam operatio (a) animæ rationalis (b) perfectissima (c) circa Deum (d) conjuncta, cum summa delectatione & quiete in bono accepto.

(a) Omnes enim per beatitudinem nihil aliud intelligunt, quam bene beateque vi-

G 3

vere,

vere, bene agere &c. Præterea omnium Philosophorum consensu firmatum est effatum, perfectionem cujusque rei consistere in operatione naturæ ejus conveniente. Ergo & hominis perfectio & finis consistet in aliqua operatione naturæ ejus conveniente: ut nunc alia argumenta taceam, quæ adduci solent, ut evincatur, beatitudinem non esse habitum, sed actum. *Confer Arist. 1. Moral. cap. 7. & Enstratum in hunc locum.*

(b) Non vegetativæ aut sensitivæ, cum hic non quæratur bonum aliquod plantis atque brutis commune, sed hominis proprium. Adhæc, cum contingat plures esse unius rei operationes, naturæ ejus congruentes, norma aliqua attendenda est, ut dijudicare possimus, quamnam ex illis præferenda sit: est vero illa norma ipse DEUS, cui operatio animæ rationalis quam proxime accedit. *Conf. Arist. 10. Moral. c. 8.* Porro in hominis anima rationali duæ sunt facultates intellectus & voluntas, quarum utraque suas peculiare operationes circa DEUM tanquam summum bonum exercet; & quidem prior cognitionem, cum illius sit, sufficientiam suam cognoscere in bono, quod habet, atque ei contingat debita perfectio, si optimum capiat intelligibile, & circa illud continue versetur; posterior vero amorem, venerationem & cultum, quibus in perfectissime

ctissime cognitum objectum fertur, & ei coniungi appetit.

(c) Et extensive, dum quicquid in DEO rationem boni habet, attingit; & intensive, dum perfectissimo, quoad fieri potest, modo, circa DEVM versatur; secus enim si fieret, nec summa delectatio, nec alta animi quies sequeretur.

(d) Tandem finem objectivum cuius bonitatem Sectione I. §. 24. not. c. consideravimus; quibus addimus, illud objectum, quod sua virtute cetera objecta continet, omnem potentiam appetitum perfectissime complere posse; huiusmodi autem est DEUS, Ergo operationis perfectissimum objectum est. Nulla igitur creatura hac dignitate insigniri potest, cum conditiones finis simpliciter ultimi in eam non cadant.

(e) Delectatio est individua comes fruitionis summi boni, *Conf. Aristot. l. 10. Moral. c. 4. & 5.* Si enim ex cognitione naturæ, rerumque mathematicarum summa voluptate perfundimur, quid non sperandum erit ex cognitione & amore naturæ naturantis, (si barbaro vocabulo uti licet). Erit etiam hæc delectatio non interrupta, quia operatio naturæ intellectualis, ex qua illa fluit, assidua, atque sine interruptione vigebit. *Conf. Espritium pag. m. 631. & ipsum Aristot. l. c.* Quies autem & securitas animi erit in bono obten-

to, quod Deus propter summam bonitatem auferre non vult, nec alius tam potens est illud animæ eripere, vel eam ab illius cognitione & amore avertere.

## §. II.

Fruitio hæc seu adeptio summi boni in hac vita non datur (a), cum operatio tam intellectus (b) quam voluntatis (c) circa Deum imperfecta sit.

(a) Hunc processum requirit methodus scientiæ practicæ, ut constituto sine disquiramus, in quonam statu ille obtineri possit.

(b) In hac vita cognitio intellectus est abstractiva, quæ fit per abstractionem nostri intellectus, qui per contemplationem rerum creaturarum (in quibus suo modo vel magis vel minus est quædam similitudo creatoris) abstractit quasi & format sibi conceptus divinæ essentia, quibus Deus non immediate in essentia, verum mediate & per quandam quasi sui effigiem cognoscitur. Nec aliter in hoc statu fieri potest, quia modus cognitionis sequitur modum naturæ rei cognoscentis; anima autem in hac vita habet esse in materia, ideoque naturaliter non cognoscit, nisi quæ habent formam in materia, vel quæ per huiusmodi cognosci possunt: imo addunt alii, Deum voluisse ita cognosci a nobis, ut alliceremur ad poscendam plenioram notitiam. Quicquid sit, imperfecta tamen est cognitio

gnitio hæc & notitia, quæ sit per similitudinem vel medium, & quidem quanto minus medium illud cum aliquo congruit, eo imperfectior est. Ut si hominem per equum cognoscas, imperfecta erit notitia, adhuc tamen imperfectior, si eum cognoscas per plantam, & imperfectissima, si per lapidem vel rem alterius prædicamenti. Pari modo dum Deum per similitudinem cognoscimus, constat eum in nullo genere cum creaturis convenire, & a quavis creatura imperfectissime exhiberi, quia in nullo suo opere Deus vires suas omnes exprimit: Ergo cognitio nostra in hac vita ex creaturis hausta non potest non esse imperfectissima.

(c) Imperfectio voluntatis sequitur imperfectionem intellectus; Cum enim Deus non nisi abstractione in hac vita cognoscatur, & sic non in essentia, etiam voluntas non potest ferri, nisi in bonum abstractivè cognitum, ita ut semper relinquatur desiderium arctioris conjunctionis. Adhæc ita nobiscum natura comparatum est, ut sæpe meliora videamus, deteriora vero sequamur; cujus rei causam Platonicæ & Stoicæ in corpus nostrum conjiciunt, quasi ex illius contactu anima hanc labem contrahat. Confer. Plotinum *Ennead. 4. l. 8. c. 1.* sed fontem hujus mali ratio nostra detegere non potest.

## §. III.

Ergo ut illud desiderium satietur

G 5

(a)da-

(*a*), dabitur altera vita, quam etiam colligere licet partim ex animæ nostræ immortalitate, quæ variis argumentis ex philosophia naturali (*b*) & morali (*c*) desumptis probari potest, partim ex iustitia DEI remuneratoria & vindicatoria (*d*).

(*a*) Consistit enim ceu ex dictis ad §. 1. patet hominis perfectio seu finis in DEI cognitione, tanquam operatione ipsi maxime propria. At vero hæc in præsentī vita sensuum ministerio perfecte absolvi non potest juxta §. 2. sed semper ulteriorem relinquit appetitum. Quapropter fatendum est, ne Deum atque naturam, ac si frustra aliquid fecissent, nobisque inane desiderium indidissent, accusemus, manere nos aliam vitam multo beatiorem, in qua divinæ essentia cognitione famem sitimque contemplationis & cognitionis depellemus.

(*b*) Unum nunc urgemus, quod tamen apodicticum esse videtur: Anima rationalis immaterialis est. Ergo etiam immortalis erit. Consequentia ex eo petitur, quod res carens materia, careat etiam mole, atque partibus, in quas distrahi exsolvi que possit, atque adeo necessum sit, ut qualis semel est, talis perpetuo perseveret; quia quod hujusmodi est, in se non habet dissolutionis principium,

cipium , & potest idcirco perdurare in  
omne ævum , seu quod idem est , esse im-  
mortale. Antecedens patebit , si facultates  
animæ rationalis , intellectum & voluntatem ,  
imateriales esse probaverimus. Quod intel-  
lectum attinet , sic procedo : Quæcunque  
facultas a materia omni & sensibili & intel-  
ligibili abstrahit , universaliter considerat , res  
a materia omni re & ratione abstractas con-  
templatur , in operationibus suis exercendis  
organo nullo corporeo utitur seu indiget ,  
hinc non ut sensus corporei excellentibus e-  
jusmodi objectis percipiendis læditur aut de-  
bilitatur , sed potius perficitur , reflectitur  
supra semetipsum , & quid ac quomodo co-  
gnoscat , intelligit , præteritorum & futu-  
rorum rationem habet , illa cum istis com-  
ponit , & quod ex usu fuerit , colligit , illa  
est immaterialis : atqui intellectus : Er-  
go. Major hujus syllogismi exinde certa est,  
quia operatio arguit formam & per rerum na-  
turam fieri non potest , ut operatio sit no-  
biliores , quam forma , unde operatio ema-  
nat. Circa voluntatem licebit eodem modo  
argumentari. Quæcunque facultas in omne  
bonum fertur , delectatur omnium rerum pul-  
chritudine , actionibus quoque justis & ho-  
nestis , & disciplinis liberalibus : libera  
est , & ipsa suas actiones specificare ac ad  
alterutram partem oppositorum determi-  
nare

nare valet; repugnat etiam sæpe numero corpori suo, dominatur affectibus, & contra, quam illi insistant, operatur, illa est immaterialis, Atqui voluntas, Ergo. Conf. *Arist. 2. de generat. animalium cap. 3. Johan. Cottomium Philosophum Medic. ac Theol. Doctorem, Equidem aureatum S. Georgii, & in Academia Patavina, Philosophum primum de triplici statu, animæ rationalis ad aures & tenorem Arist. veræque Philosophiæ disput. 6. sect. 2. seqq. Thomam Gianini, de mentis humana statu post obitum c. 14. Petrum Gassendum phys. sect. 3. membro posteriori lib. 14. c. 2. p. 627. seqq. Georgium Calixtum in libro de immortalitate animæ & resurrectione carnis. Joachimum Hildebrandum de immortalitate animæ rationalis ex solo lumine natura apodicticis & topicis rationibus liquido ostensa & ab adversariorum objectionibus ex eodem rationis lumine vindicata. Voffium de origine & progressu idololatriæ, L. 1. cap. 10. p. 37. L. 3. c. 40. pag. 465. Fromondum Philosophiæ Christianæ de anima Lib. 4. cap. 1. artic. 8. p. 786. seqq. Cartesiani quoque animæ immortalitatem ex operationibus immaterialibus, suis tamen hypothésibus conformiter, deducunt, vid. Antonium le Grand institut. Philosophiæ p. m. 988. Job. Eberb. Schwelingus in mente immortaliter evidenter certo contra atheos scepticosque demonstrata Bremæ 1683.*

(c) Plura sunt argumenta, quæ ex philosophia morali desumi possunt, & ab aliis dicuntur topica: (1) si non esset anima immortalis

mortalis, tolleretur omnis religio & cultus divinus, quia ut homo DEUM veneretur & colat, quaedam in eo proportio reluceat, omnino opus est. Nam etiam sensus nisi ea, cum quibus naturalem quandam propinquitatem obtinuerunt, non sentiunt. Si igitur anima nostra mortalis esset, quæ illi cum immortali DEO proportio? Cum immortale atque caducum ordine toto dissideant: Aut cur solus homo DEUM veneretur & colat? (2) Ex hominis conditione, quæ deterior hac ratione esset brutorum vita. (3) Ex fortitudine, dum multi honestam mortem vitæ proponunt. (4) Ex temperantia, dum animus rectus imperat affectibus & sic monstrat corpori se non esse permixtum. (5) Ex prudentia virtutum principe, cujus actus omnes arguunt, hominis animum extra jus ditionemque elementorum esse positum. (6) Ex abdito quodam metu & duto verberere conscientiæ, quod nihil aliud quam futurorum suppliciorum præfagium est. (7) Ex eo, quod nobis curæ sint, & maxime quidem, quæ post mortem ventura sunt. (8) Ex cura & diligentia, quæ abivis gentium defunctis impensa est. (9) Ex hominis statura. (10) Ex consensu omnium gentium, qui ab exordio mundi ad hanc usque ætatem deduci potest. (11) Ex judicio omnium prudentum: in dubiis viam tutiorem esse eligendam; jam vero si quis

com.

comparaverit commoda sententiæ de immortalitate animæ, cum incommodis sententiæ de mortalitate animæ, non poterit non, si prudenter agere voluerit, immortalitatem animæ eligere. *Vid. antecitatos Autores & præcipue Costumium. Lib. cit. diff. 7. tota.*

(d) Quam certum est, Deum esse, tam certum est, eundem & justum esse, juxta superius dicta. Cum vero Dei justitiam deceat, ut bonis bene sit, malis male, neque id videamus plerunque in hac vita contingere, oportet vita alia sit in qua bonis præmia, malis supplicia distribuantur. Secus enim si esset rectius ac multo sapientius instituta esset humana societas per homines, quam hominum genus universum a DEO; vel omnia evenirent temere & casu; vel janua præcluderetur virtuti, aperiretur sceleri, religio omnis corrueret, pietas omnis averteretur, & omnis societas turbaretur.

#### §. IV.

Priusquam vero ad illam pertingere datur, necessum est (a) antecedere, mortem i.e. solutionem (b) corporis & animæ.

(a) Prout id patet non sola experientia, ceu putavit *Galenus lib. de Marasmo cap. 2.* sed etiam ratione: Nam cum hoc experimentum  
perpe-

perpetuum sit, perpetuum quoque obtinebit causam: nim. Omne quod genitum est, etiam corruptioni obnoxium erit, quia ex diversis principiis, quæ in se mutuo agunt, coalescens, tandem in sua principia resolvitur. Ad hæc cum universi perfectio in varietate consistat, ac præstet longe plurima succedenter; quam unum quidpiam continenter in ipso naturæ quasi theatro exhiberi, reputare animo nos oportet esse sapientissime institutum, ut quo nova perveniãnt, vetera deficiant, sibi que quasi lampada tradant. Frustra igitur sunt, qui vitam producendam, promittunt, ad mille sexcentos annos, ut Paracelsus, vel plane immortalitatem, ut olim Philosophus quidam Ægyptius, referente Galeno l. c. & nostris temporibus Rogerius Baco, Arnoldus Villanovanus, Fratres Rosæ Crucis, & alii, per nescio quam medicinam universalem hominem mortalitatem eripere volunt. *Conf. Petrum Gassendum sect. 3. phys. membro posteriori. Lib. 13. cap. 5. pag. m. 614.*

(b) Causa solutionis naturalis communis est pugna & contrarietas elementorum, quæ ad sua loca naturalia pergere contendunt, præcipue ignis, qui sua virtute aperiendi & separandi compagem mixtorum naturalem dissolvit. Interna causa est actio caloris in humidum radicale, qui hoc semper attenuando

ando & separando absomit & tandem ipso humido deficiente, quo tanquam pabulo coerebatur, nativa sua levitate abit ac subiectum deserit; unde mors subsequitur. Porro non parum confert ipsius naturæ defectus, quæ non restituit humidum æquale, neque tam perfectum, ac illud quod est dissolutum, unde corpus perpetuo exsiccatur & tabescit: Nam continua est & perennis partium jactura, restauratio vero sensim & non nisi per varias alterationes perficitur, instrumentumque, calor scil. multo usu detritum, & quotidiano opere agitatam flaccefcit & tandem aboletur. Hæc aliæque de causis tam internis, quam externis mortis physicis jam olim fuerunt tradita, de causis vero moralibus altum semper ratio tenuit silentium.

## §. V.

An vero corpus quod cecidit suo tempore resurgere (a) & cum anima universali iudicio sisti (b) tandemque hoc universum destrui (c) debeat, sola ratio certi nil determinare potest cum sint res facti & mere liberi Dei arbitrii.

(a) Resurrectionem reapse aliquando futuram ratio nostra investigare non potest: interim tamen illius possibilitatem agnoscit. Deus enim omnia potest, quæ contradictionem non implicant: Jam vero si implicaret homi-

hominem in cineres resolutum in vitam revocari, tunc id fieret vel ratione causarum internarum vel externarum: sed neutrum dici potest. Ergo. Nam quod internas attingit, anima rationalis, tanquam hominis forma, immortalis est, juxta §. 3. Corpus quidem destructum est; in nihilum tamen non reductum; sed resolutum in sua principia, e quibus erat compositum. Superest ergo eadem numero materia, quam undecunque revocare DEO facillimum est. Si jam voluntate & potentia DEI ad pristinam compositionem revertatur, eique uniat anima, quæ ante juncta fuerat, erit quoque (cum sit eadem numero forma juncta eidem numero subjecto seu materiæ) eadem substantia seu idem numero homo, qui ante erat. Ex parte causarum externarum favor efficiens, qui est DEI omnipotentia, cui omnia, quæ non implicant, possibile sunt; & finis, bonitatis nim. & justitiæ gloria. Quid enim magis deceat bonitatem divinam, quam hominem meliori sui parte jam tum immortalē, totum immortalitate mactare; quid justitiæ magis conveniens, quam totum hominem, prout bene vel male egit, vel præmiis ornare, vel poenis afficere? *Conf. Calixtum de resurrectione carnis cap. 8. Thomam contra gentes lib. 4. c. 79. ad fin.* His rationibus alii symbola quædam resurrectionis ex natura

H

&amp; ar-

& arte desumpta addunt, nec non Chymicorum lusus, quibus e cineribus species plantarum, animalium &c. oculis iterum sistunt: vide nostram dissertationem de corporum naturalium καλιγγενεσία. Ex quibus tamen ratio nostra nondum certo colligere potest, quod, quicquid DEUS facere possit, aut quicquid facere ipsi indignum non sit, ideo propter statim velit facere; cum secundum §. 23. nota d. sect. 1. multa possit, quæ tamen nunquam vult.

(b) Judicari animam per saniam rationem colligitur, an vero id futurum sit in aliquo iudicio universali, per eam determinari nequit. Hoc quoque veteres Philosophi, & præcipue Plato sedulo inculcarunt, statim, facta animæ a corpore discessione, iudicium institui. Describit quoque iudicii hujus æquitatem & iudicium. Æaci, Minois ac Rhadamanthi nulla ex parte, seducibilium constantiam, & in id unum intentam curam, ut agnoscant malusne an probus fuerit in vita, qui iudicio sistitur, ut iis, qui vitam cum laude traduxerunt, honorem rependant. jubeantque ad dextram in superiorem cœli locum conscendere, appositis in anteriori parte monumentis recte factorum; malis vero ignominiam & dedecus inferant, eosque præterea in tartarum detrudant.

(c) Neque hic ratio solidi quicquam demon-

monstrare potest. Nota est quidem *ἐκπέρας* Stoicorum, quibus Heraclitus praeivit statuens, unum esse mundum, eumque esse igne genitum, & rursus per vices & periodos quasdam universum hoc seculum in ignem esse vertendum, idque fato fieri. Stoici vero eam ex ipsa rerum natura deducere voluerunt, quasi humore consumpto nil relinqueretur, praeter ignem, per quem totus, ignosceret mundus, & a quo ac Deo renovatio mundi fieret, atque idem ornatusoretur. Similia mediatus quidam ex recentioribus. Sed haec contra rationem esse ex Philosophia Aristotelica patet, cum mundus ita sit undique dispositus, ut nulla vis tantos queat motus mutationemque moliri. Praeterea *ἀποκατάστασις*, quam Stoici comminiscuntur, Deo digna videri non potest, cum per eam mundus qui succedet, nihilo melior erit priori. Cui itaque bono toties, imo infinites iteranda instauratio? Si iterum interibit, inutile est, & supervacaneum, immutari. Annon melior est mutatio, postquam semel factam nulla super est mutatio?

## §. VI.

Beatitudini seu fruitioni summi boni opposita (a) est mors malorum, seu damnatio aeterna (b), quæ nihil aliud erit, quam privatio (c) operationis ani-

mæ rationalis perfectissimæ, & positio  
omnis generis suppliciorum.

(a) Medium enim statum non agnoscimus, quem tamen Plato ejusque asseclæ statuere videntur, dum triplicem in altera vita hominum statum posuere, primum quidem qui pro peccatis levibus & sanabilibus ad tempus saltim noxas dent; secundum qui æternum plectantur ob gravia & insanabilia peccata; Tertium vero, qui ob bonam & ex virtute transactam vitam felicitate potiantur.

(b) Quia & malorum animæ rationales sunt immortales & præter indignitatem personæ culpam contrahentis, tanta est Numinis offensi majestas, ut quantalibet suppliciorum immanitate, nunquam sufficienter repensa pœna censeatur.

(c) Oppositorum enim oppositæ sunt rationes & consequentiæ. Acquisitioni nim. boni opponitur adeptio mali & damni & sensus; Et si pii intime junguntur fini objectivo, impii contra ab ipso elongabuntur; Si illic erit amor intensissimus; hic erit averfatio ingens; si ab illa parte erit delectatio & summa quies, ab hac erit tristitia, perpetuus conscientie morsus &c.

PARS

## PARS SECUNDA,

De

## SUBJECTO OPERATIONIS.

## §. I.

SUBJECTUM Operationis, seu QUOD <sup>(a)</sup>, est homo <sup>(b)</sup> ad felicitatem alterius vitæ tendens.

(a) Vocatur alias etiam denominationis subiectum, quia suppositum est fundamentalis ratio omnium, quæ sunt in eo. Et licet radicaliter actiones proveniant a forma, nihilominus ipsum per excellentiam agere dicitur, atque sic etiam denominatur.

(b) Quia ipsi competunt conditiones subiecti operationis: est enim id, in quod forma agit, & finem suum introducit aut introducere conatur, cum ceteroquin ipsi non inhæreat. In qua descriptione duæ latent conditiones, (1) ut subiectum perfectione finis careat, (2) ut ejustamen capax sit vel fuerit. Jam vero homo hoc ipso dum ad felicitatem contendit, quæ in hac vita acquiri non potest, perfectione adhuc caret; & præterea licet theologia naturalis finem suum non introducat, tamen introduce conatur. *Conf. Jo. Musæum Introd. in Theolog. §. 10, c. 2. p. 42.*

H 3

§. II.

## §. II.

Subjectum QVO idque immediatum est anima (a), principesque in ea facultates, quas Theologus naturalis nosse debet, in quo statu nunc sint, quidque præstare possint, quid non. Intellectum ergo dum intuemur, egregias quidem dotes (b) offendimus, quibus tamen iterum certæ imbecillitates (c) maculam haud exiguam inurunt.

(a) Est enim pars illa, secundum quam operatio supposito inest. Hanc quidem Philosophus naturalis secundum essentiam pluribus considerat; nihilominus ex parte 1. Sect. 1. §. 25. nota c. nobis satis constare potest, eam esse immaterialem, & per consequens juxta ejusd. Sect. §. 18. not. b. intelligentem.

(b) Dotes intellectus nonnullis sequentes referuntur; (1) Solertia, quæ aliud nihil est, quam ipsa vis, qua intellectus ad aliquid celeriter excogitandum ducitur: unde solers ille censetur, qui media statim invenire potest, quæ aut inter differendum probando, aut inter agendum exequendo inserviant. (2) Sagacitas, quæ est vis quædam lentior, si forte media lateant, subolfaciens, ac nihilominus ad illa non sine peruestigatione circumspectioneq; aliqua, perveniens: Quo fit, ut quia consecutio nes simul videt, in futurum quo:

quoque feratur & perfpicientia quædam | sit.  
 (3) Ratio, quæ est ipsa vis ratiocinandi colligendive unum ex alio, quæ plerumque pro ipso intellectu accipitur, & tribuit ipsi animæ, ut rationalis appelletur. (4) Judicium, quod est perfecta ratio. Hoc aliquis pollere dicitur, qui ut res perspicit, ac prout se habent enunciat, sic ex iis, quæ perspecta habet, consecutiones apte deducit, ac ita omnia circumspicit, ut sibi fucum fieri, ullisve sôphismatibus imponi non facile patiatur. (5) Memoria, quæ est vis intellectus repetendi ex illa penu, quæ sive visa, sive audita, sive lecta, sive mediata fuerint, ipsi concreditur. (6) Docilitas, quæ est intellectus aptitudo, ad percipiendum facile ea, quæ ignorata commonstrantur. (7) Ingenium, quod est quasi complexio omnium istarum virium. Conf. Petrum Gassend. in Physic.

(c) Intellectus imbecillitatem jamdudum notavit *Arist.* 2. *Metaph. cap. 1.* scribens: Quemadmodum oculi vespertilionum se habent ad lumen solis: sic intellectus noster se habet ad res natura sua evidentissimas & clarissimas. Nimirum illi solis lumen splendidissimum ferre non possunt, & hic ad intuitum rerum evidentissimarum cœcutit, quales sunt prima rerum principia: Nam cum intellectio nostra mediantibus sensibus atque phantasmatibus fiat, non potest non oriri difficultas,

quam intellectus tam facile non superat. Si jam intellectus noster circa res evidentissimas ita se habet, profecto in reliquis adhuc major erit in errores varios facilitas. Vidit id iterum, *Arist. Lib. 3. de anima c. 3.* dicens: sensum esse certum, intellectum vero maxima ex parte male ratiocinari. Hoc enim experientia testatur; nisi enim ita esset, tantæ inter omnium professionum doctores dissensiones non existerent, & tot ac tam differentes opiniones super unamquamque rem non ferrentur; cum plures una veræ esse nequeant. Præter has debilitates etiam præcipitantiam, inadvertentiam, curiositatem & suspicionem &c. recenset. *Jo. Christoph. Beckmannus in lineis doctrinae moralis cap. 4. pag. 42. seqq.*

## §. III.

**Voluntas quoque certis gaudet dotibus (a), sed suis etiam laborat imbecillitatibus.**

(a) Non immerito regina actuum in universo animæ regno voluntas salutatur: Nam ipsi intellectui quodammodo imperat, cum quoad exercitium, i. e. ut rem consideret, vel non consideret; tum quoad specificacionem, i. e. ut actus sit vel dissensus vel assensus, si causæ necessariae & intellectum convincentes vel non adsunt, vel non adesse videntur. Dein ex parte etiam regit actus  
appe-

appetitus sensitivi & cæterarum potentiarum animæ sentientis, ut & actus externorum membrorum, qui a sentiente sunt. Ulterius post intellectus iudicium etiam potest aliter velle, aut omnino nolle, vel etiam suspendere volitionem, aliove eam deflectere, quam ratio monstrat.

(b) Inter eas præcipua est inconstantia. Nimirum quia intellectus iudicii plerumque inconstantis est; ideoque voluntas in appetendo, plerumque nutat; ac proinde cum intellectus bonum esse hodie prædicet, quod cras dicat esse malum, ideo voluntas id hodie amat cras vero averfatur; & cum hodie quidpiam esse prosequendum iudicet, quia bonum sit, cras autem quidpiam aliud esse videatur melius, iudicet prosequendum potius, ideo voluntas hodie in illud, cras ipso relicto feratur in aliud. Altera imbecillitas est, quod licet intellectus videat meliora probetque, nihilominus ipsa deteriora sequatur, non utendo nimirum illius scientia, imo intellectum sæpe impellat, ut hoc quod appetit, ipsi sub specie boni sistat.

## §. IV.

Tandem & appetitus sensitivus suas agnoscit vires (a), non tamen sine magnis imperfectionibus (b).

(a) Per cum enim homo fertur non tantum

H 5

tum

tum in suum bonum sensu cognitum', ut eo gaudere possit, sed etiam ad sui conservationem, propulsando omnia noxia. Armatus præterea est natura ceris motibus, affectibus nimirum, (quos nonnulli in physicos, metaphysicos & morales dividunt) quorum vi agit id, cui destinatus est. Et quod præcipuum, novit ex parte audire rationis ductum. Dum enim voluntas imaginationem, quæ motus excitat alio avertere potest, reprimere etiam surgentes animi motus potest. Et nisi ita esset, jam omnis ratio virtutis & vitii seu recte & prave factorum, adeoque tota philosophia, quæ circa mores formandos versatur, funditus tolleretur, cum nec illa, nec hæc sine rationis imperio & hujus facultatis obsequio intelligi possit.

(b) Licet enim interdum pareat rationi, non tamen id semper fit; cum sæpe accidat, ut impetus quidam ab ipso suscitentur, non advertente intellectu, atque ita voluntatem quoque antevertant; sæpe etiam fieri solet, ut advertente quidem intellectu voluntas tamen motus illos suscitatos non deprimat satis valide. Hinc *Arist. 1. Eth. c. ult.* illum comparat membro alicujus corporis resoluto, quod sæpe cum a paralytico dextrorsum impellitur, sinistrorsum tamen fertur. Imo idem *lib. 3. c. ult.* dicit in explebilem hanc rerum jucundarum appetitionem longe lateque efferri, si rationi non subdatur.

S. V.

## §. V.

Hi defectus in facultatibus generant  
 (a) filiam maxime deformem, nimirum peccatum (b), quod est in operatione, (c) vel operationis omissione (d) libera, cui perfectio in esse debebat (e), defectus (f).

(a) Omnes enim facultates hic sua symbola conferunt : Intellectus errando & ignorando : voluntas contra intellectus sanum dictamen aliud eligendo ; appetitus sensitivus intellectum & voluntatem impediendo, ne ille recte iudicet, hic vero debito modo non appetat ; vel etiam vehementia affectuum voluntatem plane rapiendo ad bona sensuaria ab intellectu non exhibita.

(b) Differunt vitium & peccatum ; illud enim dicit defectum in ipsa forma vel facultate, hoc vere dicit defectum in operatione.

(c) Et dicitur commissionis peccatum, quia est contra jura negativa.

(d) Et dicitur omissionis peccatum, quia est contra jura affirmativa.

(e) Quæ cum absit, operatio illa disconveniens & naturæ rationali, quatenus tali, contraria evadit, quod quæ ratione fiat, Thomas 1. secund. summa Theol. question. 71. art. 2. sequentem in modum explicat : Considerandum est, quod natura unius cujusque rei potissimum

tiffimum sit forma, secundum quam res speciem fortitur. Homo autem in specie constituitur per animam rationalem, & ideo id, quod est contra ordinem rationis, proprie est contra naturam hominis, in quantum est homo; quod autem est secundum rationem, est secundum naturam hominis, in quantum est homo; bonum autem hominis est secundum rationem esse, & malum hominis est præter rationem esse. Unde virtus humana, quæ hominem facit bonum & opus ipsius bonum reddit, in tantum est secundum naturam hominis, in quantum convenit rationi; Vitium autem in tantum est contra naturam hominis, in quantum est contra ordinem rationis, *Conf. B. Slevogt. disp. Pract. 8. sect. 2. assert. 1. 2.*

(f) Nimirum peccatum considerari potest, vel concretive vel abstractive. Si priori modo, tum est aliquod concretum seu compositum ex actione & defectu ipsi conjuncto, & sic aliquod positivum includit: Si posteriori modo, denotat tantum defectum, & sic est pura privatio.

§. VI.

Altera hominis pars est corpus, quod egregiis quidem præditum est dotibus (a), sed in simul innumeris obnoxium miseris (b).

(a) De variis corporis humani dotibus vide-

vide supra cit. Autores *part. 1. sect. 1. §. 6. nota b.*  
 via quinta. Quis non miratur omnium mem-  
 brorum structuram secundum exactissimas me-  
 chanicæ leges efformatam? Quis non erectam  
 hominis figuram cum attentione intuetur? Ea  
 enim inter cætera animalia ipsi soli data est. Il-  
 la quippe, nisi collum reflectant, nunquam  
 adspiciunt cœlum; vel licet caput in cœlum  
 attollant; nihilominus toto corpore procum-  
 bunt in humum. Hic vero quanquam ex per-  
 pendiculo ut cœlum intueatur, elevet caput ne-  
 cesse est, commode tamen magnam cœli partem  
 spectat citra hujusmodi reflexum, cujus rei  
 etiam suppeditat causam *Arist. 4. de part. ani-  
 malium cap. 10.* dicens: solus homo animalium  
 omnium erectus est, quia officium ejus,  
 cum naturam habeat atque substantiam divi-  
 nam, est intelligere ac sapere, quod non facile  
 esset, si vasta corporis moles assideret: Pondus  
 enim tardiorem reddit mentem ac sensum com-  
 munem. Et ut multa paucis complectar, no-  
 tum est, quod homo microcosmus salutetur,  
 quia imaginem *μακροκόσμου* in se gestat & ex-  
 hibet, de quo vid. cit. Autores.

(b) Nascitur homo ad laborem, ad dolo-  
 rem, ad mœrorem: nascitur ad calamitates,  
 ad morbos, ad miseras mille & cruciatus,  
 Galenus centum & duodecim contrarias af-  
 fectiones seu morbos in uno oculo notavit.

Et

Et Plinius non dubitavit asserere, morborum trecenta esse genera in humana vita, i. e. innumerabilia; Ita ut Augustinus non immerito alicubi quærat, & queratur: Nescio an in vitam mortalem venerim, an in mortem mortalem. Hominis miseriam per tria vitæ tempora pluribus describit. Michaël Piccartus in Orat. 6. Philosophiæ Altorph. annexa; de miseria hominis p. 617. seqq.

## §. VII.

Hæc debilitates atque imperfectiones ut ratio nostra cognoscit, sic illarum causam adducit vel dubiam (a) vel falsam (b).

(a) Ad quam refero Aristotelis *συγγενές*, *congenitum*, quod habetur Eth. 3. c. ult. his verbis: Cupiditatis operatio, quod *cognatum* sibi est, auget, & si magnæ vehementesque fuerint cupiditates, rationem de folio deturbant. Sed quid est illud *συγγενές*? Huc quoque spectat dubitatio Senecæ Epist. 52 & aliorum.

(b) Ut Epicurei, qui omnem Dei providentiam negabant, & exinde cuncta hæc mala deducebant: de quibus *parr. 1. sect. 1. §. 3. not a b.* Item Plato & Platonici, cum hæc omnia viderent, nec tamen in hoc orbe causam offendere possent, sequentia somniarunt: Nimirum ab initio a Deo tot esse factas animas, quot in cælo astra & singula singulis astris accommodatas. Postea ob

com-

commisſum peccatum cœlitus fuiſſe de-  
ctas & corpori tanquam ſepulchro incluſas.  
Quale hoc peccatum animæ fuerit, Marſili-  
us Ficinus nomine omnium Platoniorum  
*in Comment. ſuper Platonis convivium Orat. 4.*  
*c. 4.* indicat ſeqq. verbis: Anima gemino  
lumine ornata a DEO condita eſt, na-  
turali altero ſeu ingenito, divino altero & in-  
fuſo, quibus una conjunctis, ceu duabus aliis  
per ſublimem pervolare valet regionem: Ac  
ſi divino illo ſemper uteretur, ſemper divi-  
nis hæreret terra rationalibus animalibus va-  
cua eſſet. Caterum divina providentia de-  
cretum eſt, ut anima ſui ipſius ſit domina, poſſit-  
que tum utroque ſimul lumine uti, tum al-  
tero. Hinc fit, ut anima natura duce ad pro-  
prium ſui lumen converſa, prætermiſſo divi-  
no, ſeiſum viresque ſuas quæ ad fabricam  
corporis ſpectat animadvertat, cupiatque vi-  
res hujusmodi in facricandis corporibus exe-  
qui. Hac itaque cupiditate gravata deſcen-  
dit in corpus: Cecidit ergo animus noſter  
in corpus, cum, prætermiſſo divino, ſolo ſuo  
eſt uſus lumine, ac ſeiſo cœpit eſſe conten-  
tus. Haſtenus ille. Forſan non aberrave-  
ro, ſi Platonem traditione dixerim aliquid ac-  
cepſiſſe de primo parentum noſtrorum lapſu,  
atque hac obſcura ratione propoſuiſſe; ſe-  
quaces vero ſecundum literam hæc a Præce-  
ptore tradita intellexiſſe & poſtea quovis  
modo

modo voluisse defendere ; cum tamen in sanam philosophiam multis modis impingat ; Nam animas ante corpora extitisse putant , cum tamen naturale sit cuius formæ, corpori , ad quod propensionem habet , uniri , alias non erit in statu naturali. Jam vero cuius rei prius convenit secundum naturam esse , quam præter naturam , quod saltim per accidens inest. Quapropter anima prius convenit esse in corpore , quam extra illud. Porro si ante corpus anima extaret , tunc esset in statu maxime imperfecto ; cum enim appetitum habeat ad corpus , omnimoda perfectione gaudere non potest , nisi sit corpori copulata , ex quo etiam , cum in corpore est , naturale desiderium habet , in eo permanendi. *Conf. Dn. Zeidlerus in Analyti pag. 590. seq.*

## §. VIII.

Hinc non immerito dubitamus , an gentiles vel ratio sibi relicta statum quendam perfectiorem in quo primus homo conditus fuerit , investigare potuerit (a).

(a) Volunt quidem aliqui ex DEI bonitate & iustitia statum illum perfectiorem. evincere , ex illa nimirum , cui maxime conveniret , hominem optimo creare statu ; ex hac vero quasi si ipsi repugnaret , hominem ob peccatum æterna afficere morte , cum tamen in tali

tali statu eum condidisset, quo non poterat non peccare. Sed ratio sibi relicta non agnoscit talem statum, sed potius fatebitur, in eo manifestatam fuisse DEI bonitatem, quod hominem condiderit libertate voluntatis, qua in utramque partem vel uti, vel abuti poterat. Imo secundum ductum luminis naturalis judicabit eodem modo cum homine comparatum esse, ac cum reliquis rebus, in quibus natura ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur, & homini naturale esse putabit cum aliquibus tum corporis tum animæ imperfectioribus produci, ita tamen ut postea doctrina & crebro exercitio ad perfectiorem statum deduci possit. Exempla hujus rei manifesta habemus in Socinianis & Helmontio; illi putant homines integros fuisse simplices, & saltem non stupidos, de quibus venerandi Theologi; Hic vero in tractatu, cujus Titulus: *Intellectus Adamicus p. m. 430. editione Lugdun. in fol.* ubi non veretur scribere: Inprimis vix mihi persuadere potui, quod Adam in statu innocentiae sciret illa atque plura, quæ postmodum per esum scientiæ boni & mali nesciret: id quidem, si pomum oblivionis, soporis vel ignorantiae manducasset; non autem ubi pomum scientiæ edisset.

## §. IX.

Nihilominus tamen & illud negare

I

non

non possumus, gentiles hominem DEI imaginem (a) esse dixisse, atque dominium ipsi inbruta (b) competere agnovisse.

(a) Hermes Trismegistus & alii hominem duplicem gestare imaginem dixerunt DEI scil. & mundi, quia corpore hunc, animam illum refert secundum rationem & libertatem. Quod uti probamus, sic reliquorum sententiam admittere non possumus, qui imaginem illam ampliarunt & ex similitudine identitatem facere voluerunt, dicentes esse animam nostram divinæ naturæ particulam. Nam DEUS nullo pacto constitui potest forma alicujus rei, nec ejus vices subire, quia licet forma in comparatione ad materiam sit actus, in ordine tamen ad compositum cujus est forma subit rationem potentiæ, atque adeo imperfectionis, quam a DEO longissime abesse supra ostendimus. Deinde totum est perfectius suis partibus, tum quia est completum & in specie constitutum, tum quia illi competit per se subsistere & operari. Si jam anima humana esset particula quædam divinæ naturæ, homo foret aliquid perfectius ipso DEO, quia homo esset totum, & DEUS seu divina natura altera tantum ejus pars. Tandem anima humana multam ac variam in dies subit mutationem, non modo

mōdo circa bonarum artium ac virtutum studia, earumque opposita, sed etiam diversa affectuum commotiones : divina vero natura ab omni mutatione procul abest. E.

(b) Ut testimonia gentilium aliaque nunc taceam, dominium illud metus in maximis etiam belluis evincit. Elephas enim, antequam domitus fuerit, jam hominem timet. Siquidem si vestigium viderit, ex odore (quo plurimum valet) cognoscit, sitne bestiae an hominis : Neque id modo, quando quis nudis incesserit pedibus, sed etiam calcceis indutus : Quod si humanum vestigium esse animadverterit, utcunque hominem, non conspexerit (ut Plinii verbis *l. 8. c. 4.* utar) intremiscit insidiarum metu, circumspētat, nec calcat, sed erutum proximo tradit, ut ille sequenti, nuntio simili, usque ad extremum, circum agente tunc agmine & revertente. Merito autem miratur Plinius, metui, quem nunquam viderit, his verbis : Sed unde sciunt timendum esse ? Imo vero cur vel ipsum conspectum paveant, tanto viribus, magnitudine, velocitate praestantiores. Etsi autem ad veram causam non penetraverit Plinius, non tamen nihil est cum quaestioni sic occurrit : Nimirum haec est natura rerum, haec potentia ejus, saevissimas ferarum maximasque nunquam vidisse, quod debeant timere & statim intelligere, quod

est timendum. Per rerum naturam potentiamque, tam Deum, ut auctorem naturæ, tum naturam ut ejus opus intellige, nihilque profecto melius dixeris. Huc Gerhard. Joh. Voss. *Ido. Gentil. L. 3. c. 50. p. m. 46.* refert, quod non patiantur se bellæ hæc adversus hominem adduci, ut ministri fiant sævitæ alienæ.

---

PARTIS TERTIA  
De  
**CAVSIS ET MEDIIS**  
CONSEQUENDÆ BEA-  
TITVDINIS.

§. I.

**C**AUSA efficiens futuræ beatitudinis  
est Deus Ter Opt. Maximus (a).

(a) Nam majori jure de illa felicitate alterius vitæ id dicimus, quod gentiles de beatitudine hujus vitæ professi fuerunt: Nimirum *Arist. 1. Nicomach. 9.* scribit: si quod aliud munus a Diis datum est hominibus, profecto beatitudinem esse donum divinitus datum. Et *Cicero l. 1. de natura Deorum*, neminem virum magnum sine aliquo afflatu divino unquam fuisse; & *Plotinus Enneadis 1. l. 4. c. 16.* Recte Plato petendum desuper summum bonum judicat ad ipsumque ei respi-

ciat-

ciendum, qui sapiens sit beatusque futurus. Præter hæc testimonia huc referri potest ratio, quam Thomas contra gentes l. 3. c. 142. adducit. Res inferioris naturæ in id, quod est proprium superioris naturæ non potest produci, nisi virtute illius superioris naturæ: Sicut luna, quæ ex se non lucet, sit lucida virtute & accensione solis; & aqua, quæ per se non calet, sit calida virtute & actione ignis; sic ad prædictum finem pervenire transcendit facultatem humanæ naturæ. Ergo virtute ipsius DEI eo perducitur debet. Quomodo vero DEUS efficiat beatitudinem, aliter ratio colligere non potest, quam hoc modo. Quemadmodum DEUS viri boni animam creat, sic etiam post fata enim superstitem servat, & tanquam omnium bonorum largitor illam cumulo bonorum beat, atque sibi conjungit; quam tamen conjunctionem plene explicare nequit.

## §. II.

Causa impulsiva interna conferendæ beatitudinis est summa DEI bonitas (a), externa vero summa hominis miseria (b).

(a) Quæ & quanta illa sit in part. 1. sect. 1. §. 23. fuit ostensum. Nimirum cum gaudeat cumulo omnium perfectionum, non potest aliis rebus indigere, sed potius, prout

natura bonitatis fert, aliis non tantum potest bona communicare, sed etiam constantissime, vult. Nihil ergo hic adscriptum volumus iustitiæ divinæ. Nullum enim homini ad Deum jus est, cum si quid boni, cui tamen imperfectiones adhærent, agat, id DEO debet a quo & in essendo & operando dependet. Præterea si divina iustitia hic consideranda esset, potius poenis æternis, quam præmiis afficiendi essemus.

(b) Præterquam enim quod adhuc tendamus ad summum bonum, tanquam finem ultimum & sic eo careamus, (quæ carentia jam inducit miseriam) ex parte secunda miseria hominis tam secundum animæ facultates, quam secundum corpus, satis ut opinor, patuit: Impenditur enim homo debilitate rationis, quæ de facili trahitur in errorem, per quem a recta via perveniendi in finem excluditur. Impeditur etiam ex parte passionibus animæ sensitivæ & affectionibus, quibus ad sensibilia & inferiora trahitur, quibus quanto magis inhæret, tanto longius ab ultimo fine distat: Hæc enim infra hominem sunt, finis autem eo superior existit. Impeditur etiam plerumque corporis infirmitate ab executione virtuosorum actuum, quibus ad beatitudinem tendit. Indiget ergo auxilio divino homo, ne per hujusmodi in-

di impedimentum totaliter a fine ultimo deficiat.

## §. III.

Media (a), per quæ ad beatitudinem perveniendum, sunt actus mentis & voluntatis atque ab his fluentes externi (b), qui partim directe & immediate circa Deum veriantur, ut cognitio & cultus Dei; partim ultimo ad Deum (c) referuntur, ut sunt officia erga proximum, & nos ipsos, & per certas conclusiones practicas præscribuntur (d).

(a) Per media non intelligimus, prout in part. I. monitum fuit, ea, quæ sunt meritoria, i. e. ad quæ eligenda finis cognitus, ita voluntatem movet, ut vicissim causa consequendi finis propria dicta efficiens aut meritoria sit. Sed quæ quovis modo propter finem consequendum eliguntur, licet eius adipiscendi causa non sint, sed saltim se habeant ex parte subjecti per modum conditionis, aut causæ sine qua non. *Conf. B. Musæum introduct. in Theol. cap. 2. §. 13. p. 44.*

(b) Actus hi tam interni quam externi respiciunt facultates subjecti operationis, in quod finis introducendus est.

(c) Manet enim DEUS centrum ad quod actiones, tanquam lineæ rectæ tendere debent quocumque etiam modo id fiat.

I 4

(d) Ni-

(d) Nimirum per discursum quendam, qui si perfectus fuerit, habebit pro altera præmissarum principium aliquod practicum natura notum, pro altera vero propositionem quandam vel DEI essentiam, vel perfectionem essentialem, vel aliam continentem, in parte I. & II. seu a posteriori, seu a priori demonstratam, prout ex seqq. §§. patebit.

## §. IV.

Omnium cogitationum nostrarum initium & finis sit DEUS (a).

(a) Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem; regula est quam sana dicitur ratio; jam vero DEUS est finis omnium ultimus *juxta partem I. Sect. I. §. 24. not. (c)* ergo semper respiciendus, & cogitationum quoque cynosura ponendus est.

## §. V.

Crebro contemplare hoc universum, imo teipsum, & cognosces DEUM (a).

(a) Effectus arguit suam causam; DEUS est causa prima & ultima (*juxta partem I. Sect. I. §. 6. viam secundam*) & mundus & quicquid in eo entis nomen meretur, illius sunt effectus (*juxta loc. cit. & ejusdem sect. §. 25.*) Ergo cognoscetur quod essentiam, attributa & actiones.

## §. VI.

## §. VI.

DEUS hic cognitus super omnia est colendus (a) cultu spirituali (b).

(a) Ens omnium primum & summum, quod nullam sui causam agnoscit, sed a seipso est, super omnia est colendum. DEUS fatentibus omnibus sanioribus (vid. part. 1. sect. 1. §. 6. not. (b) & §. 9. not. (c)) est tale Ens: Ergo: confirmat id. *Arist. septimo Eudem. X.* Honor Deo & naturæ principi tribuitur a subjectis, sed nunquam satis dignus exhiberi potest, fatente 8. Eth. c. ult. Neque quod pro dignitate sit in omnibus est; sicut in honoribus qui Diis aut parentibus exhibentur. Nemo enim referre his dignum possit; sed qui pro viribus colit, is probus censetur.

(b) Unusquisque, cui debetur aliquis cultus, prosequendus est tali cultu, qui naturæ suæ congruit & proportionatus est. DEUS vero est ens spirituale & omni materiæ expertus (juxta part. 1. sect. 1. §. 9. not. (d)). Ergo etiam spirituali cultu prosequendus est.

## §. VII.

Dictis & promissis DEI sine ulla dubitatione fides est habenda (a).

(a) Qui est summe verax & in dicendo nec falli nec fallere potest, ejus dictis & promissis fides est habenda. DEUS est ipsa veritas (juxta part. 1. sect. 1. §. 21.) & vi summæ

suæ sanctitatis nec fallere, nec vi omniscientiae falli potest. Ergo ejus dictis & promissis sine ulla dubitatione subscribendum est.

## §. VIII.

Deus super omnia diligendus est (a).

(a) Quicumque est summe bonus & finaliter & efficienter, ille super omnia est diligendus. DEUS est bonus præter bonitatem absolutam etiam respectiva, secundum habitudinem, causæ finalis & efficientis; i. e. ultimum seu summum est bonum idque infinitum, in quod omnia feruntur & a quo omnia bona fluunt (*juxta part. 1. sect. 1. §. 22.*) Ergo super omnia diligendus est.

## §. IX.

Deus est timendus & nostris peccatis non offendendus (a).

(a) Qui justitiam exercet & scelera severe vindicat, is profecto timendus, neque peccatis & offensis lacessendus est. Deus vero est justus judex, qui nobis leges naturæ nostræ convenientes præscribit, & peccata severe punit & vindicat (*juxta part. 1. sect. 1. §. 22.*) Ergo timendus est. Est tamen, ut docet Arist. 1. Oeconom. VI. timor duplex: filialis qui conjunctus est cum amore, qualis est proborum liberorum erga parentes: Itemque servilis, qui cum alienatione animi & odio conjunctus est, qualis est servorum erga dominos,

minos. Priori modo homo Deum timeat, non posteriori.

## §. X.

In Deo super omnia est confidendum (a),

(a) De cujus bonitate & potentia nobis constat, quod & velit & possit juvare, ad eum omnes recurrunt, certissima auxilii impetrandi fiducia. DEUS non tantum summe bonus juxta l. c. sed etiam omnipotens (*juxta part. 1. sect. 1. §. 23.*) ita ut nobis in omnibus necessitatibus succurrere & benevole velit, & valide possit. Ergo ad ipsum est recurrendum sub certissima auxilii fiducia.

## §. XI.

Res adversæ in hac vita a Deo immisssæ patienter sunt ferendæ (a).

(a) Ita natura nobiscum comparatum est, ut quævis etiam dura subeamus, modo nobis confiterit, diuturna illa non esse, atque nos perducere ad meliorem statum. Res adversæ diu non durant, expirant enim in p̄is cum hac vita (*juxta part. 1. sect. 2. §. 1. & seqq.*) & justo DEI judicio immittuntur, ut pii castigentur vel retrahantur a malis & præparentur ad meliora (*juxta part. 1. sect. 1. §. 22. not. d.*) Ergo in debita erga DEUM submissione erunt ferendæ.

## §. XII.

## §. XII.

De Deo considerare loquere, neque  
ejus nomine abutere (a).

(a) Quos veremur & timemus e. g. parentes  
& bonos Principes de iis nunquam non reveren-  
ter loquimur & ad nudam mentionem nominis  
signa devotionis exhibemus. Deus quem timere  
debemus (*juxta §. 9. hujus partis.*) est noster  
pater: creavit enim nos & adhuc conservat (*juxta  
p. 1. §. 25. 26.*) Est quoque optimus noster Prin-  
ceps (*juxta part. 1. sect. 1. §. 22. not. c. & §. 26.*)  
Ergo de eo nihil inconsiderate dicendum.

## §. XIII.

Preces ad Deum sunt dirigendæ (a).

(a) Illius fores pauperes nunquam non pul-  
sant, de cujus facili distributione & potentia certi  
sunt. Nostra miseria nota est *ex part. 2. §. 6. not.*  
*(b)*; æque nota, imo notior est summa Dei bo-  
nitas, a qua omnia expectamus (*juxta part. 1. sect.*  
*1. §. 24. & 26.*) & summa ejus potentia, qua mise-  
riis nostris medelam facilem afferre potest; Ergo  
ad eum sunt preces nostræ dirigendæ. Si vero  
desideriis nostris non semper exauditio respon-  
det, cogitate ea, quæ petimus, forsan non esse  
medelam, sed majorem noxam. *Penam Phaeton pro munere poscis. Non dubita dabitur, quod-  
cumq; optaris, sed tamen sapientius opta.* Erat sol-  
lis ac Phaetontem responsio, cum hic curru solari  
vehi imprudenter peteret.

## §. XIV.

## §. XIV.

Pro vita ejusque conservatione debita Deo sunt agenda gratiæ (a).

(a) Id jamdudum saniorum consensus firmavit, beneficiis, si nihil aliud, saltem gratias reponendas esse. Deus nobis dedit vitam: Magnum sane beneficium, dum effecit, ut ex nihilo aliquid simus; æque magnum est illud, dum nos, qui apri sumus, ut relaberemur in pristinum nihilum, ad certum tempus in communicato esse conservat. (*juxta part. 1. sect. 1. §. 25. 26.*) Ergo pro tot tantisque beneficiis debita offerenda sunt gratiæ.

## §. XV.

Affectuum moderamen nunquam est negligendum, sed in principio statim illis resistendum (a).

(a) Ea quæ nociva nobis sunt, evitamus & declinamus, si in nostra potestate fuerit; & si prudenter agere velimus, principiis obstatum. Affectus quidem indifferentes sunt, sed vehementia sua tam noxii evadunt, ut rationem de folio deturbent, & nos a recto ad finem tramite excludant (*juxta part. 2. §. 5. not. (a)*). Ergo continuo sub rationis imperio haberi debent, & ne in immensum extollantur, in herba statim suppressendi sunt.

## §. XVI.

Virtus est sectanda (a) & peccata sunt fugienda (b).

(a) Principis ad exemplum totus componitur orbis. Illius actiones sunt norma subditorum. Deus dux noster atque gubernator sanctus est, & moralem indefectibilitatem habet. (*juxta part. 1. sect. 1. §. 22. not. (a)*). Ergo illius sanctitas nostra norma esse debet in actionibus. Quod si fiet, virtutem sectabimur. Vel etiam hac ratione: Benefacta manent certæ remunerationes, si non in hac vita, tamen in altera. Homo vero est animal, ut honoris sic etiam præmiorum cupidum, cui ignotum non est, animam esse immortalem, & in altera vita accipere vel præmia vel pœnas; (*juxta part. 1. sect. 2. §. 3. not. (b) & seqq.*) Ergo si voluerit consequens, eligat etiam necesse est antecedens, i. e. virtutem sectetur.

(b) Conf. hujus part. §. IX. Dein præsentia alicujus viri vel in ecclesia, vel republica clari hoc secum habet, ut nos componamus in omnes bonos mores, & contra vitia evitemus. Deus per omnia loca & spatia præsens est, (*juxta part. 1. sect. 1. §. 16.*) & actiones nostras coram intuetur. In illius ergo conspectu mali nihil agendum, peccata fugienda & virtus sectanda. Vel h. m. Ea quæ contra naturam nostram sunt, evitamus, atque quantum possumus, fugimus. Peccata sunt  
contra

contra naturam nostram, quatenus talem:  
*(juxta part. 2. §. 5. not. c.)* Ergo illa omnibus  
 modis, sunt fugienda.

## §. XVII.

Proximus noster est diligendus (*a*)  
 etiamsi fuerit noster inimicus (*b*).

(*a*) Qui communia nobiscum studia ha-  
 bent, & eodem fruuntur sine, illos amore com-  
 plectimur. Proximus noster in eadem nobi-  
 scum constitutus est via & ad eandem felicitate-  
 tem tendit, (*juxta part. 2. §. 1.*) Ergo jure merito-  
 que diligendus est.

(*b*) Perfectio nostra consistit in imitatione  
 DEI & conformitate vitæ nostræ cum vita di-  
 vina. Sed DEUS patitur non tantum ami-  
 cos nostros, sed etiam inimicos humanis a-  
 liarumque creaturarum juribus frui; (*juxta*  
*part. 1. sect. 1. §. 26. not. (c) & (e).*) Ergo si per-  
 fectione gaudere volumus, non tantum proximi-  
 mus, qui est amicus, diligendus erit, sed etiam  
 inimicus.

## §. XVIII.

Hæc quidem sunt præcipua media,  
 quæ a Theologia naturali præscribun-  
 tur, sed ea sæpissime a nobis negligun-  
 tur. Hinc Deum offendimus, eumque  
 nobis iratum reddimus. Cuius facti  
 postea rationem in statu tranquillo &  
 sereno constitutam pœnitet (*a*), cum  
 vero

vero sola pœnitentia Dei iram placari non posse Theologia naturalis agnoscat (*b*), neque tamen aliud medium certo suppeditare possit (*c*) cogitur hic defectum suum fateri (*d*).


(*a*) Constat id experientia, & omnibus quoque gentibus commune est, ut quando in gravia scelera prolapsi Deum iratum senserunt, eundem placaturi ad pœnitentiam & deprecationem culpæ recurrant.

(*b*) Nam peccata sunt ex genere illarum actionum, quæ præter agentem jus cuiusdam tertii concernunt: sunt enim lege superioris interdicta, & violant ejus legem vel mediate, vel immediate. Hoc ipso vero ex parte peccantis culpam & reatum pœnæ divinæ inducunt: Deum vero afficiunt injuria & offendunt. Jam licet ad expiationem peccatorum necessaria sit pœnitentia, seu retractatio, nondum tamen sufficiens est, quia saltem concernit peccantem, & ne peccata admissa ex parte sui habeat rata, efficit. Sed præter peccantem respiciendus etiam est Deus offensus; Illæ enim actiones, quæ alterius tertii jus violant, ab agente licet serio pœnitente aboleri non possint, sed tantisper eum stringunt, donec juri tertii fiat satis. Confer. B. Musæum Disp. de Insufficiencia luminis naturæ ad salutem, contra Eduardum Herbertum & ejusdem Dissert. contra Steph. Curcellzum.

(*c*) Et si

(c) Etsi enim lumine naturæ cognoscat, Deum esse justum, vindicare scelera, ejusque justitiam lædi peccatis nostris; unde tamen læsæ justitiæ divinæ satis fieri possit aut debeat, nusquam tuto invenit. Dices, Deum posse sola bonitate remittere peccata: Sed non hic requirimus, an Deus id possit, sed an id velit facere. Ut enim benignus & misericors, ita & justus ac scelerum vindex est Deus. Etsi pro sua liberrimâ voluntate potest peccata condonare, ex mera gratia, nulla interveniente satisfactione: potest certe pari libertate etiam pro sua justitia debitam ab ipsis exigere satisfactionem, & sic non condonare. Hinc ratio hic certi nil suppeditare potest.

(d) Et hunc defectum gentiles dudum observarunt. Secundum Pythagoram enim, referente *Jamblicho in ejus vitæ c. 128.* quibus Deus delectetur, scitu haut ita facile est, nisi quis Deum ipsum, vel Deos audiverit, vel divina arte scientiam sibi paraverit. Quapropter & nos terminum humanæ scientiæ videntes, lectores ad Deum in verbo suo loquentem, venerandosque in Theologia; Professores illud rite sectantes, ablegatos volumus, ut, quæ ratione non potuerunt, saltim revelatione obtineant.



(o)



K

INDEX



# I N D E X.

## A.

<b>A</b> ccidentia Physica & Metaphysica quæ. 60	
Accidentia metaphysica in Deo dari non repugnat.	60.66
Accidentia quia sunt, etiam substantia est.	39
Accidentia concreantur substantiis.	92
Acquisita notitia quomodo Deus cognoscatur	35
Actus cognoscendi Deum sunt media, finem, quem Theologia naturalis præscribit, consequendi.	23
Actus purus præter Deum non datur.	45
Adami Theologia naturalis antiquissima.	4
Admiratio philosophiæ mater.	26
Adversæ res a Deo immissæ patienter sunt ferendæ.	139
Æacus iudex inferorum.	114
Ægyptii herbas malebant colere, quam esse absque omni cultu.	46
Ægyptiorum Theologia naturalis.	4
Eternitas Dei quid. 70. unde probetur eternitas Dei. 71. probat cognitionem futurorum in Deo.	75
Affectus	

## INDEX.

Affectus physici, metaphysici, & morales,	129
Affectus moderari decet.	141
Affectus sunt indifferentes.	141
Alcinoi epitome dogmatum Platonis.	12
Alberti M. commentar. in Metaphys. Aristot. laudantur.	13
Alexander de Ales laudatur.	13
Alistedii Theologiæ naturalis encomium	15
Ammonii de Aristotele testimonium.	13
Anima rationalis a Deo creata.	92
Anima hominis rationalis duabus pollet facultatibus.	102
Animæ immortalitas adstruitur sententia de immortalitate animæ magis commoda est, quam de mortalitate.	107. seqq.
	110
Anima est subjectum Theologiæ naturalis quo	118
Anima quo lumine a Deo ornata. 127. an sit particula divinæ naturæ, 130. prius convenit animæ, esse in corpore, quam extra illud. 128. an tot animæ ab initio creatæ sunt a Deo, quot astra.	126. seqq.
Antonius de Sarassa notatur.	16
Appetitus sensitivus suas agnoscit vires non sine imperfectionibus. 121. an pareat rationi.	123

## INDEX

Aristoteles an cognitam habuerit creationem.	89
Atheismi causæ. 56. Atheismus directus.	53
indirectus ib. theoreticus 53. seq. practicus.	ibid.
Athei speculative tales an dentur. 54. Athei nostræ ætatis. 52. eorum occasiones 55. seq. qui olim sic dicti. 52. veteres recensentur. 10. quales fuerint & an Deum plane negarint.	ibid.
Attributum quid.	60
Attributa Dei unde fluant. 59. an differant inter se realiter. ibid. non sunt accidentia Dei ab ipso Deo diversa & ipsi superaddita 60. prædicari possunt in concreto de Deo 62. quomodo de se ipsis prædicentur. 62. quomodo demonstrantur. 51	
Attributa negativa quæ 62. positiva	63
Attributum unum potest esse medium demonstrandi alterum.	37
Attributorum Dei cognitio negativa præfertur affirmativæ.	52

### B.

<b>B</b> eatitudo seu fruitio summi boni est finis Theologiæ naturalis.	101
Beatitudo hominis consistit in Deo.	87
Bene-	

## INDEX.

- Beneficia Dei grata mente agnoscenda sunt. 141  
 Bonitas Dei est causa impulsiva interna beatitudinis hominibus conferenda. 134  
 Bonitas Dei absoluta. 85. 86. respectiva ibid. finalis ibid.  
 Boni insatiabilis cupiditas probat esse Deum. 46  
     homini frustra data non est. ibid.  
 Bonnetus (*Nic.*) laudatur 14  
 Brigantii de Theologia. 15

### C.

- C**ampanella laudatur. 15  
 Caramuelis encomium. ibid.  
 Carentia initii & finis ratione durationis, licet non adsit carentia principii secundum causalitatem & dependentiam, sumitur scholasticis pro aternitate. 7  
     cui aliam adhuc addunt significationem aternitatis. ibid.  
 Cartesius de omnibus dubitat. 26  
 Cartesianæ dubitationis incommoda. 27  
 Causæ subordinatæ sunt vel per se, vel per accidens. 42. per accidens subordinatæ quæ ibid. per se subordinatæ. ibid. seq.  
 Causæ & media consequendæ beatitudinis. 132  
 Causa efficiens beatitudinis. 132. impulsiva externa 133. impulsiva interna. ibid.  
     K 3                      Civi-

## INDEX.

Civilis Theologia,	18
Circulus definitio Dei,	5
Circulum committere quid.	42
Claubergii centuria exercitationum de cognitione Dei.	16
Cognitionem nostrarum finis est Deus.	137
Cognitio attributorum Dei negativa præfertur, affirmativæ. 52. cognitio nostra de Deo valde imperfecta.	35
Cognitio intellectus in hac vita est abstractiva,	104
Cognitio & cultus Dei sunt media perveniendi ad beatitudinem.	135
Cognitio nostra qualis.	76 seq.
Cognoscitur Deus lumine naturæ. 29. & quomodo.	30
Compositio realis in Deo non datur. 66. quod probatur ibid. tamen compositio rationis.	66
Compositio, divisio & discursus a scientia & cognitione Dei abest.	72
Concurfus Dei cum omnibus rebus creatis non est ut causa principalis cum instrumentali. 96. nec ut partialis cum partiali ibid. sed ut universalis 96. quomodo ab aliis vocetur, & an recte.	ibid.
Conscientiæ testimonium probat esse Deum.	47
Con-	Con-

## I N D E X.

Consentes Dii gentium.	25
Conservatio rerum creatarum Deo competit.	ibid.
95. quid sit.	ibid.
Contingentia rerum salva manet, etsi Deus ab aeterno aliquid præciverit.	77
Corpus humanum pollet egregiis dotibus, abundat autem suis etiam miseriis.	114
Creatio quid 88. an natura sit cognita.	88
ratio formalis creationis 89. an sit actio immanens. 90. ejus terminus ad quem	
92. a quo ibid. creatio prima seu immediata quid. 92. secunda & mediata.	92
Creaturis an repugnet aeternitas.	70
Creaturae testantur Deum. 35. 48. habent quidem suas perfectiones, sed multis imperfectionibus mixtas.	51

### D.

<b>D</b> amnatio aeterna quid.	115. 116
Decretum Dei an hominis libertatem tollat.	94
Dei existentiam ex ideis non licet probare.	33
an a priori demonstrari queat existentia Dei 36. ejus demonstratio ex numeris. 3. definitio a Platone allata. 6. nome unde deducant autores. 24. quot modis id fiat.	
25. Dei existentia ostenditur per vias varias.	36. 38. seqq.

### K 4

Deus

## I N D E X.

Definitio Theologiæ naturalis.	19
Demonstrationes a priori & posteriori dantur in Theologia naturali.	20
Deus quid. 57. an de eo dubitari liceat.	26
est objectum Theologiæ naturalis. 19, 21, 24. qua ratione ab Aegyptiis sit descri- ptus. 5. est nusquam & ubique. 6. ex motu demonstratur. 7. ex lumine na- turæ est cognoscibilis. 29. cognoscitur per notitias natura insitas. 30. & notitia acquisita. 35. an a priori de- monstretur. 38. Aristoteli non est causa efficiens mundi. 8. rationes de- monstrandæ Deum præcipue petuntur ex physica.	3
Deus hac in vita mediate cognoscitur.	104
perfectiones effectuum suorum non formaliter sed eminenter continet. 52 est unicus. 64. se ipsum cognoscit. 72 ut & præterita, præsentia ac futura. 72. cognoscit etiam privationes. ibid. entia rationis possibile & impossi- bilia. 76. errare non potest. 81. est fi- nis simpliciter ultimus. 86. est colen- dus cultu spirituali super omnia. 137 cur super omnia diligendus 138. cur timendus ib. cur in ipso confidendum 139. de Deo considerate loquendum. 140	Deside-

I N D E X.

Desiderium sciendi homini innatum probat esse Deum.	46
Dictis & promissis Dei fides est habenda	137
Diligentium. 25. consentes, ib, selecti. indigetes.	ibid.
Distinctiones universalissimæ explicantur a Metaphysico. 2. distinctio rationis cadit in Deum.	66
Demonstrationes ingenerant nobis notitiam acquisitam.	36
Dominium in bruta competit homini etiam ex sententia gentilium.	130, 131
Docilitas quid.	119
Dubitatio errorum mater.	26
Dubitare an de Deo liceat.	ibid.
Dubitatio in philosophia non plane rejicienda.	26
Dubitationis Cartesianæ incommoda.	27

E.

<b>E</b> lephas metuit hominem	131
<i>ἐπιφώρασις</i> Stoicorum.	115
Ens primum a priori cur demonstrari nequeat.	36
Ens factum præsupponit ens non factum.	41
Entia non omnia sunt possibile, sed datur etiam necessarium.	44
K 5	Entia

## I N D E X.

Entia rationis cognoscuntur a Deo,	76
Entis prædicatum Deo cum creaturis commu- ne.	58
Epicurei Athei practici.	52, 126
Epicurea secta quomodo Deum demonstrave- rit.	8
Epicurei mundi causam non statuunt Deum.	8
Essentia Dei quomodo describatur. §7. nostro conciipiendi modo attributis Dei opponi- tur §7. ad essentiam quid requiratur.	58
Eugubinus notatur.	2
Existentia Dei variis viis probatur & quæ earum sit optima.	39. seqq.

## F.

<b>F</b> abulosa Theologia.	18
Fidelitas Deo maximopere competit.	80
Finis Theologiæ tam formalis quam materialis.	23. seq.
Finis primum in intentione, primum movens, & norma reliquorum.	23. 101
Finis datur simpliciter ultimus.	86
Formale objectum Theologiæ naturalis.	22
Fratres rosæ crucis jactant suam medicinam universalem.	III
Futura absoluta & conditionata cognoscuntur a Deo 72. 75. unde probetur.	75
Futu-	

I N D E X.

Futura libera, 75. quotuplicia.	75
Futura a cognitione & præscientia Dei non con- trahitur necessitas.	77

G.

<b>G</b> ometricus demonstrandi modus utilis est in Theologia.	3
Genitum quod est, corruptioni quoque obno- xium est.	III
Gentes omnes ex lectione librorum mundano- rum Deum esse didicerunt.	50
Gubernatio rerum probat esse Deum 46. quid sit. 95. an Deo competat.	ibid.

H.

<b>H</b> abitudo inter Deum & intellectum huma- num an detur.	29
Habitus cognoscendi Deum etiam in simplici- ores cadit.	17
Heracliti de mundo sententia.	115
Hervvarti miranda Ethnicæ Theologiæ mysteria laudantur.	15
Hieroglyphicis Ægyptiorum Theologia involu- ta fuit.	5
Historiæ Philosophicæ usus in Theologia natu- rali.	4
Homo est subjectum operationis Theologiæ na- turalis.	117.23
	<b>Homo</b>

## I N D E X.

Homo omnia & ex eo, ejusque partibus ad Deum progredimur.	48
Homo est Deo curæ. 82. est animal sociale, ibid. vivit secundum rationem ib. ex sententia Galeni centum & duodecim contrarias affectiones patitur in uno oculo. 125. morborumque trecenta genera in tota vita.	126
Homines integros quales statuerit Helmontius & affeclæ.	129
Humanum corpus egregiis præditum dotibus, innumeris tamen obnoxium est miseriis.	124

## I.

<b>I</b> deæ Platonica.	32
Idearum doctrina Cartesii.	33
Idea an quoad esse vicarium sit infinita.	34
Immaterialitas animæ indicat ejus immortalitatem. 106. quæ arguit vitam æternam.	ibid.
Imago DEI quid 33. sunt homines etiam ex sententia gentilium.	130
Imaginem in homine duplicem statuit Hermes Trismegistus.	130
Immutabilitas quid. 67. late patet. ibid. est causa analytica æternitatis.	71
Immen-	

## I N D E X.

Immensitas quid 69. ab infinitate differt. ibid.	
unde probetur.	69
Imperfectio non datur in Deo	85
Impossibile quid 85. cadit sub cognitionem	
divinam.	76
Inanimata nullam habent finis cognitionem	
46	
Independentia Deum ab omnibus aliis distinguit.	52
Indigites Dei gentium.	25
Infinitas probat DEI cognitionem, qua cognoscit futura.	75
Infinitas intensive talis quid. 84. extensive.	
ibid.	
Infinitas DEI describitur. 68. quid denotet.	
ibid. unde probetur	68.69
Influxum positivum Deus præbet rebus creatis.	
95	
Influxus Dei qualis, an ut causa principalis per instrumentalem, an ut partialis cum partiali &c.	96
Ingenium quid.	19
Intellectus humanus inanimalis est. 107. pollet suis dotibus, non tamen caret imbecillitate. 118. seqq. ejus dotes recensentur. 118. seqq. an cognoscat Deum.	29
Intel-	

## I N D E X.

Intelligentiæ a Deo creata.	91
Intellectus Dei pollet scientia qua se ipsum & extra se omnia cognoscit.	72
Intuitive hic in terra Deum non cognoscimus.	58
Judicium quid.	119
Judicium extremum an probetur lumine natura.	112.114
Justitia Dei quid. 80. cur Deo competat justitia.	81
Justitiæ exercitium est perfectio simplicitatis.	81
Justitia & misericordia Dei an se mutuo tollant.	82
Justitia remuneratoria. 83. correctiva.	ib.

### K.

<b>K</b> Eckermannus notatur.	2
-------------------------------	---

### L.

<b>L</b> Escaloperius ( <i>Petrus</i> ) notatus.	15
Logica numeratur inter propædevmata.	
Theologiæ naturalis.	2
Logicæ usus.	2
λόγος quid in compositione denotet.	17
Lumen naturæ ostendit esse Deum.	29

M. Majus

# I N D E X.

## M.

<b>M</b> Ajus & minus dicuntur de diversis	45
Marius Merfennus laudatur.	57
Marfilii Ficini sententia de statu animæ.	127
Materiale objectum Theologiæ.	22
Mathematica inter propædeumata Theologia naturalis. 2. ejus præstantia.	3
Materia prima a Deo creata.	91
Media ad beatitudinem perveniendi.	135
Media non semper denotant meritorium quid	22.135
Medium demonstrationis deest, si velis Dei existentiam a priori probare.	37
Media ducunt ad finem.	24
Memoria quid.	119
Mentiri Deus non solet.	80
Mercurius Trismegistus notatur 4. ejus succes- sor Pythagoras.	6
Metaphysica est inter propædeumata Theolo- giæ naturalis. 2. ejus divisio & usus. ib. cur Theologia dicatur.	18
Methodus analytica quæ.	23
Miracula testantur Deum.	49
Minos judex.	114
Modus operandi sequitur modum essendi.	88
Montis aurei idea non præsupponit exemplar.	34
	Mornæus

## I N D E X.

Mornæus laudatur.	15
Mors quid.	110
Morborum genera trecenta in homine.	126
Mundus ex sententia Heracliti ex igne.	115
Mundus docet esse Deum.	36.47
Mundi causa quæ ex sententia Peripateticorum & Epicureorum 8. an ejus destructio pro- betur ex lumine naturæ.	12
Mysterium Trinitatis Theologus naturalis non attingit.	97

### N.

<b>N</b> aturalis Theologia quid sit.	17.18
Necessarium quatenus tale ex seipso scibile est.	38
Negationes & privationes cadunt sub cognitio- nem Dei.	76
Negativa attributorum Dei cognitio præfertur affirmativæ.	52
Neutrales Athei practici.	53
Nihil est terminus a quo creationis. 92. quomo- do accipiat. ibid. negativum. 72. priva- tivum. ibid.	
Notitia insita quid. 30. an Deus per notitias natu- ra insitas cognoscatur.	ib.35
Notitia quid in actu secundo importet.	31
in actu primo species rerum impressas in- trinseca natura continet.	31
	Noti-

## I N D E X.

Notitia acquisita vulgaris. 35. exactior 36. hac  
notitia quomodo DEUS cognoscatur.

Non-entia cadunt sub scientiam Dei. 35  
Numenius Amelius notatur. 72  
Numerorum doctrina utilis. 3. numeris in-  
volvitur Pythagoras, demonstrationem de  
Deo. ibid.

### O.

**O**bjectum Theologiae naturalis. 19. 21  
Objectum scibile est causa & mensura sci-  
entiae. 19  
Objectum primum cognitionis Dei est ipse  
Deus. 73. Objecta secundaria quæ. ib.  
Omne quod fit, ab alio fit. 41  
Omnipotentia Dei adstruitur. 84  
Omniscientia Dei quid. 67. 73

### P.

**P**armenides nihil, nisi unum, esse dixit,  
65. Partes Theologiae naturalis. 23  
Pars in omni compositione antecedit id, cujus  
est pars. 59  
Peccatum quotuplex. 123. tam intellectus,  
quam voluntas & appetitus sensitivus  
sua

L

sua

## INDEX.

sua symbola ad peccatum conferunt	
ibid. an excludantur peccata a providentia Dei. 94. peccata sunt fugienda.	142
Peccatum commissionis. 123. omissionis.	ibid.
Peccatum & vitium differunt. 123. consideratur vel concrete, vel abstracte. 124. quomodo sit pura privatio.	ibid.
Perfectio cujusque rei consistit in operatione.	102
Peripatetica secta in Theologia naturali palmam fert.	7
Philosophi veteres an cognitum habuerint Trinitatis mysterium.	100
Physica inter propædevmata Theologiae naturalis.	2
Picus ( <i>Franciscus</i> ), laudatur.	14
Platonis figmentum de Ideis. 32. ejus definitio Dei. 6. an providentiam agnoverit. ibid. an statuerit mundum aeternum. 7. agnovit judicium animæ. 114. forte etiam quædam cognita habuit de lapsu Adami	127
Platonici quam viam Deum inquirendi instituerint	45
Platoniorum Theologia naturalis.	6
Plinii sententia de vita nostra,	126
Plotinus notatur.	12
	Plura-

## INDEX.

Pluralitas principatum, quæ nunquam bona, ad cognitionem Dei ducit.	65
Pœnitentia an sola tollat peccata.	144
Possibile quomodo sumatur. 84. absolute tale quid.	85
Possibile est quod non habet in se repugnan- tiam.	85
Possibilia à Deo cognoscuntur & quomodo.	74
Possibilia esse & non esse.	44
Potentia Dei quid 83. unde probetur. ibid. an ab essentia, intellectu & voluntate differat realiter. 83. seq. in potentia ni- hil est, quin aliquid, quod actu est, an- tecedat, per quod in actum deduci pos- sit.	45
Preces ad Deum sunt dirigendæ.	140
Præscientia Dei non necessitat.	77
Præterita & futura sunt objectum cognitionis divinæ.	72. 74
Primus motor datur.	40
Principia a priori non possunt demonstrari.	38
Principia communia scientiarum negare, est causa impulsiva interna ad Atheismum.	56
Privationes & negationes sunt objectum co- gnitionis Dei.	76
Productio entis ex nihilo an dicat repugnan- tiam.	88. seq.

## INDEX.

Progressus in infinitum non datur in essentia- liter subordinatis.	42
Promissis divinis fides adhibenda.	137
Propædevmata Theologiæ naturalis. à <i>παιδεία</i> & ipsa scientia sunt discernen- da.	à
Proportio an detur inter DEUM & intellectum humanum.	29
Providentia Dei quid. 92. probatur. ibi. an ab Aristotele tradita. 8. ejus objectum. 94 an libertatem hominis tollat.	24
Proximus diligendus & quare.	143
Pyrrhonicorum doctrina de Deo qualis.	9
Pythagorica secta ex Ægyptiis oriunda. Deitatem numero tegit.	5.6 6
Pythagoræ symbola.	6

### R.

<b>R</b> Abbi Mose Ben Maimon refellitur.	63
Ratio quid. 119. sibi relicta an statum perfectiorem in quo primus homo conditus fuit, investigare possit. 128 seq. an attingat Trinitatis mysterium.	98
Raymundus de Sabunde notatur.	2.14
Raynudus laudatur.	15
Rhadamantus iudex.	114
Reminiscentia Platonis quæ.	32
Religio.	

## INDEX,

- Religionis naturalis instinctus probat esse Deum. 112.  
 Resurrectio an ex lumine naturæ probari queat. 112. ecm etsi ratio investigari non valeat, illius tamen possibilitatem agnoscit & unde. 113  
 Resurrectionis symbola a variis varia. 114

### S.

- Sagacitas quid. 118  
 Sapientia Dei circa quæ versetur. 78  
 Sapientiæ conditiones. ibid.  
 Sectæ Theologorum naturalium. 6.7.8.9. seq.  
 Sectæ Platoniciæ & Peripateticæ de Deo sententia. 6.7.  
 Selecti Dii gentium. 25  
 Scientia naturalis quæ. 73. libera. ibid. practica unde talis dicatur. 20. una eademque scientia tam de fine quam de mediis agit. 21  
 Scientia præteritorum, præsentium & futurorum Deo competit. 75  
 Scientia Dei nullam rebus futuris necessitatem infert. 77  
 Sceptici omnem scientiæ certitudinem expolunt. 56  
 Scibile, quod habet potentiam, ut sciri possit. 85

### L 3

Sim-

## I N D E X.

Simplicitas Dei.	65
Sol in medio cursu stans Deum esse testatur.	10
Solertia quid	118
Solutionis corporis & animæ causa.	III. 1. q.
Steuchus (Eugubinus) laudatur.	
Stoicorum de Deo sententia. 9. an unum Deum statuunt. 10. Stoicæ sectæ laus.	ib.
eorundem <i>ἐκπύρωσις</i> .	115
Sturmii oculos <i>θεόσκοπος</i> laudatur.	49
Subiectum operationis quas habeat conditiones.	23. 117
Subiectum operationis Theologiæ naturalis. 17. quod. ibid. quo.	118
Substantia spiritualis non datur, quæ non sit intellectualis.	72
Substantia datur, quæ per motum non ceperit.	39
Summum bonum quod. 101. ejus requisita.	85
Summi boni adeptio in hac vita non datur.	104

## T.

Theologiæ etymon. 1. quid sit Theologia.	ibid.
Theologia naturalis quid. 17. 19. ejus præparata.	1.
Theologia naturalis varios sustinet titulos. 18. 19. an sit scientia practica.	20
Theologiæ naturalis objectum Deus. 21. partes. 23	Thomas

## I N D E X.

Thomas de Aquino laudatur.	13
Triangulo æquilatèro descriptus Deus.	5
Trinitatis mysterium an sit ex lumine naturæ cognitum.	97
Transmegifti scripta an restent. II. eorum laus.	ibid.

### V.

<b>V</b> Edelius notatur.	2
Veracitas Dei quid.	78
Veracitas quotuplex. 78. quæ in Deo potissimum attendatur.	79
Veracitas cur sectanda.	142
Via demonstrandi Deum. 39. quæ ex illis præstantior. 51. Via motus ejusque præstantia. 40. dependentiæ. 41. non probatur	
D. Drejero. 43. contingentia & necessitatis. 44. seq. ex gradibus & perfectionibus rerum. 45. ex rerum gubernatione	
46. desumpta ab eo, quod est in homine	
ib. ex ordine & pulchritudine hujus universi. 47. à creatura visibili ad Deum	
48. a securitate politica desumpta. 49	
a miraculis.	ibid.
Vita an hodiernum prolongari possit medicina quadam universali ad mille usque annos	111
Vita altera an triplicem statum agnoscat.	116
Vitium	

## I N D E X.

- Vitium & peccatum differunt. 123  
Vita Dei quid, 71. non vegetativa aut sensitiva.  
ibid. nec rationalis prout in viventibus.  
72. sed intellectualis. ibid.  
Umbra retrograda Ezechiæ tempore insigne  
testimonium Deitatis. 50  
Unitas Dei quid, 63. seq. non est unitas per ac-  
cidens, nec quantitativa, nec universa-  
lis, nec singularis prædicamentalis, sed  
singularis transcendens. 64  
Unitas Dei quomodo a priori demonstratur.  
64. ex qua fluit simplicitas. 65  
Voluntas in Deo quid. 79  
Voluntas nostra quo bono satiatur. 87. fertur  
in bonum cognitum. 105. immaterialis  
est. 107. suas habet dotes, quæ imbecil-  
litatibus non desituuntur. 120. 121  
Voluntas regina actuum. 120


F I N I S.



2  
Ja 1688  
5

ULB Halle 3  
008 867 569  



THEOLOGIA  
NATURALIS  
POSITIVA

ad

normam f  
eticaru



He

Imp. JO. MELCH  
Bib  
ANNO

